Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Schrader Johann Burchard Majus

Christophori Schraderi Dispositiones Epistolicae

Kiliae: Lipsiae: Kiliae: Lipsiae: Apud Sebastianum Richelium: Literis Bartholdi Reutheri, MDCCV.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1047281279

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

163.
K. p. — 163. 1-2

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1047281279/phys_0002
DFG

CHRISTOPHORI SCHRADERI DISPOSITIONES EPISTOLICAE,

CUM

ELABORATIONIBUS JO. BURCHARDI MAJI.

ACCESSERUNT

de

ARTE EPISTOLICA

PRAECEPTIONES.

KILIAE & LIPSIAE
Apud SEBASTIANUM RICHELIUM,
Literis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr.
CIↃ IↃCCV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1047281279/phys_0005
DFG

VIRIS

PRAECELLENTISSIMIS ET CLARISSIMIS,

DN. JO. GEORGIO ESSIGIO,

Illustris Gymnasii Stutgardiensis,

Atque

DN. FRANCISCO THEODOR. KOHLIO,

Scholæ Kilonienſis,

RECTORIBUS LONGE MERITISSIMIS,

Fautoribus ac Amicis ſuis exoptatiſſimis,

S. P. D.

Jo. BURCHARDUS MAJUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1047281279/phys_0007
DFG

CUm multis luculentisq; signis vestrum in me amorem ac benevolentiam prorsus singularem nullo non tempore perspexerim, non dubitavi mutui affectus testandi ergo hunc vobis libellum, Scholasticae pariter & Academicae juventutis usui destinatum, inscribere ac dedicare. Vobis enim merito vestro haec laus debetur & gloria, quod studiosam literarum pubem omni liberali doctrina ad recte sapiendum vivendumque strenue non minus quam feliciter instituatis. Quod quidem eo magis honori vobis cedit, quo minus praemia spectatis immensis laboribus vestris digna, quae cum maxime debeantur, persolvuntur minime, hac praesertim tempestate, qua velis remisque ad pristinam illam contendimus ruimusque barbariem. Pauci quippe hodie reperiuntur, qui ad humanitatis studia paulo diligentius incumbant, pauciores his multo, qui in iisdem perseverent; quin jacent ipsa frigentque tam in Scholis quam Academiis nostris. Et sunt quam plurimi etiam ex illorum censu, qui eruditi haberi volunt, agrestibus adeo ac impolitis moribus, ut cultum orationis omnem, tanquam rem inanem & vix cassa nuce dignam existiment; nimirum sufficere clamant, sensa mentis aperte quoquo modo explicare, orationis autem ornamenta nihil esse aliud, quam calamistra & fucati medicamenta candoris ac ruboris. Quo magis

gis semper aestimavi industriam vestram, & in tot tantisque molestiis constantiam, voluique nunc inprimis, occasione sic ferente, me vobis probare quam gratissimum, & susceptum in me favorem summa religione conservare. Accipite ergo, humaniorum literarum Statores, munusculum hoc literarium, & si quid in eo reperitis juvandis adolescentiae profectibus aptum, & ipsi eo, si lubet, utimini, & vestris discipulis utendum commendate. Inventio totius artis ab Aristotele est, elocutio a Cicerone, ille in praeceptis, hic in exemplis regnat; ordinem monstravit celeberrimus Schraderus, cujus dispositionibus meas subjunxi elaborationes. Possunt hae forte ad parandam Latine scribendi facultatem vel commutari a tyronibus, vel converti in vernaculam, vel amplificari etiam aut coarctari, ea quam Schefferus ex antiquis monstravit ratione ac via. Id autem inprimis dedi operam, ut si suas composuissent epistolas, haberent & meas, in quibus vim usumque imitandi conspicerent, tentarentque similia. Quas ut hoc unice consilio in chartam conjeci, ita vestris sub nominibus prodire in lucem volui, nulla nec lucri nec gloriæ, sed publicæ solum utilitatis cupidine incitatus, confirmatus praeterea nonnullorum benevola approbatione. Deum precor, ut Vos rei literariæ bono quam diutissime servet, munerique & curis vestris prosperos successus largiatur. Valete.

a 3 JO.

Jo. Burchardi Maji
Præfatio
ad Lectorem.

Magnopere mihi semper placuit Christophori Schraderi institutum, quo Rhetoricorum in epistolis quoque exarandis usum commonstravit. Nam etsi hæ plerumque sine arte præceptisque scribi solent, iisdem tamen non parum juvantur, qui aliquanto curatius & præter vulgi morem literis exponere animi sui sensa volent. Etenim qui illarum contexendarum rationem probe didicerunt, non solum majori cum fructu & delectatione doctorum hominum epistolas evolvent ac legent, sed ipsi etiam doctius, venustius & elegantius scribent, quam ceteri, qui solam naturam sequuntur ducem. Accedit, quod tales multo paratiores instructioresque venient ad conficiendas declamationes habendasque orationes

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1047281279/phys_0010
DFG

nes ſerias, quibus graviores in republica tractantur & explicantur controverſiae apud Imperatores, Reges ac Principes. Itaque certis omnino præceptionibus opus eſt & arte aliqua, quæ viam nobis & aditum ad recte ſcribendum aperiat, & naturam ipſam, ſi non ſit optima, corrigat, aut, ſi in hoc ſtudio valeat, confirmet magis ac adjuvet. Et in præceptis quidem omnium ſæculorũ conſenſu princeps habetur Ariſtoteles, cujus Rhetoricorum libros ipſum Ciceronem, Oratorum Latinorum quotquot fuerunt diſertiſſimum, non piguit aut poenituit ſibi reddere familiares, multique, præſtantia illorum permoti, notis eosdem ac commentariis illuſtrarunt, ut Georgius Trapezuntius, Antonius Mancinellus, Dan. Barbarus, Petrus Victorius, Franciſcus Portus, Paulus Benius Eugubinus, Marcus Antonius Majoragius, Marcus Antonius Muretus, & Jo. Sturmius. Expoſitiones eorundem & explicationes ſeu declarationes ſuas nobiſcum communicaverunt Alpharabius, Aegi-

dius Romanus, Aug. Niphus & Antonius Bernardus. Paraphrases denique in illos concinnarunt Sim. Stenius, Jacobus Brocardus, Antonius Riccobonus atque Theod. Goulstonius. Sed hi omnes in explicando Rhetoris contextu potissimum occupati, ad verum ejus usum, ut in instrumento quidem fieri decebat, parum attenderunt, praeter unum Riccobonum, qui primus videtur glaciem fregisse. Schraderus autem noster, hujus insistens vestigiis, tam copiose feliciterque id praestitit, ut omnibus in hoc genere facile palmam praeripiat. Nam praeterquam quod Rhetoricae Aristotelicae sententiam, in civilique pariter ac sacra eloquentia multiplicem usum ostendit; exquisitissimis etiam exemplis, quae e sacris partim, partim e classicis scriptoribus depromserat, rem adeo planam fecit, ut ad perspicuitatem vix quidquam ulterius desiderari posse videatur. Cumque sola lectione totum negotium haut conficiatur, nisi diligens etiam ac crebra accedat styli exercitatio,

tio, quæ artis ipsius comes est, huic ut materiam subministraret, egregias eloquentiæ tyronibus dedit epistolarum dispositiones, ad mentem Aristotelis adornatas. In quibus singulis cum ad triplex semper argumenti genus respexerit, rationes nempe, mores & affectus: equidem non video, quid esse possit ad plene persuadendum accommodatius. Rationes enim per se unumquemque satis convincunt, si inprimis fuerint ex ipsis rei visceribus desumtæ, quibus deinceps mores & affectus veluti condimenta quædam accedunt: illi quasi oleo ac balsamo ungunt; hi igne & fulmine armant orationem, ut vel blanditiis capiantur, vel vi ac impetu quodam legentium animi expugnentur. Hoc cum animadverterent viri docti & de juventutis scholasticæ profectibus soliciti, operam dederunt, ut illius bono sæpius recuderentur dispositiones Schraderianæ. Quin ipse quoque dignas easdem censui, quas in pri-

vatis eloquentiæ scholis auditoribus meis proponerem, qui ut eo apertius perspicerent, quid ad formandam epistolam Romanam pertineret, curavi, ut post suas elaborationes meas etiam haberent. Quemadmodum vero ille probabilior semper redditur populo, qui nihil didicisse existimatur: ita optimam eam arbitratus sum epistolam, cujus compositio minime affectata, nec ab arte nimis multum quæsita haberet, sed quæ se naturæ quam maxime accommodaret. Hujus ergo ductum secutus cum vellem exempla tyronibus dare ad imitandum, Latine, proprie ac emendate inprimis scribere studui, lecythos ac pigmenta iis relinquens, quibus majus otium suppetit, quibusque tempus suo arbitratu disponere est concessum. Cunctorum enim recte sentientium judicio epistolæ universæ, cum non sint nisi imagines quædam quotidiani sermonis, tales omnino esse debent, quales sunt mutuæ amicorum inter se confabulationes, hoc est simplices & familiares, festivæ, dilucidæ, mini-

minimeque fucatæ aut nimis excultæ, quæ tamen omnem elegantiam non penitus excludant: Proinde ab illis oportet abesse omnia ea, quæ & argute nimis colliguntur, & rotunde quasi ad clepsydram proferuntur, ita ut tanquam epigrammata quædam lemmataque effingant epistolam ac terminent. Et hæc quidem scribendi ratio insigniter se commendat suffragio vetustissimorum Rhetorum, Senecæ cumprimis, qui, qualis, inquit, sermo esset, si una sederemus, aut ambularemus, illaboratus & facilis: tales volo esse epistolas meas. Neque aliter Tullius sentiebat, quando in epistola ad Papirium eam contexendæ. Epistolæ formam approbabat, quæ plano æquabilique sermone contineretur, quæque rationes, mores & affectus expositione directa & simplici moderaretur: Epistolas, inquit ille parens eloquentiæ Romanæ, quotidianis verbis texere solemus, idemque colligitur ex epistola ad Quintum fratrem, ubi illud epistolæ proprium esse affirmat, ut

is,

is, ad quem scribitur, de his rebus, quas ignorat, certior fiat. Nec dissentiunt Joachimus Camerarius, Jo. Sturmius, Paulus Manutius, Justus Lipsius & Melch. Junius, qui sedatum, planum ac dilucidum dicendi genus maxime in epistolis probarunt, & tale quidem, quod numerosa quadam compositione includitur. Atque hinc fit, ut curtæ concisæque Sallustii, Senecæ Plinii-que junioris sententiæ non modo non insistant justis modis, sed ne sibi simili quidem ac perpetuo respondente gaudeant forma. Quo magis, opinor, apparet, ab elocutione & stylo Sidonii, Symmachi, Ennodii ceterorumque istius generis esse abstinendum: cum horum plerique primarium illud epistolarum decus non observent. Cujus rationem ut nemo melius præclariusque expressit facundissimo Cicerone, sic utique præstat, illius habitum induere & assumere figuram: rectèque adeo fecit Schraderus noster, quod eum solum ac unicum, tanquam perfectissimum styli

ex-

exemplar eloquentiæ cultoribus propo-
suerit ad imitandum. Nec diffitebitur
literatorum quisquam, omnes omnium
virtutes ipsum esse complexum, nemi-
nemque vel ante vel post se natum ha-
buisse in hoc genere sibi parem; tantum
abest, ut habuerit ille superiorem. Nam
terse, eleganter graviterque scribit, ne-
que nimis cum cura, neque prorsus sine
cura, & prout data ei fuit occasio scri-
bendi. Formulas, verba, sententias non
tam videtur quærere, quam reperire,
quæ ei nascuntur quasi sub manu; dum-
que ea non anxie consectatur, magis de-
lectat, voces ejusdem rei indices sæpe
invicem commutans, ut recte atque si-
gnificanter singula exponat. Hæc ergo
caussa fuit præcipua, cur Schraderi ad
mentem has ipsas in gratiam juventutis
epistolas, pro temporis reique ratione, eo
quo dixi modo in chartas conjicerem,
quas nunc una cum illius dispositionibus
tecum, benevole Lector, amicorum hor-
tatu inductus communico. Haut equi-
dem, ignoro Martinum Blomenbergium,

Scholæ

Scholæ Northeimensis moderatorem, pridem simile quid brevi in libello tentasse, quem Osterodæ duobus & quadraginta abhinc annis in lucem curavit emitti. Quin etiam cum is mihi primum in manus incideret, proposueram mihi fere ejusdem imitationes, ut vocat, meis hisce interserere; ex quo tum ingenii tum etiam styli diversitatem juventus quodammodo perspiceret. Quot enim capita, tot non sensus tantum, sed & styli genera, quibus sensus illi exprimuntur, in orbe reperies, adeo ut jam antiquitus ex charactere styli characteres etiam animorũ judicarint. Sed cum penitius aliquanto inspicerem unamquamq; & examinarem: nullam earum ita deprehendi elaboratã, ut juventutis commodo posset inservire. Legit & ipse quidem vestigia Schraderi, quem tamen nullibi prorsus laudat præcursorem, & ad citatas ab eo Ciceronis epistolas ubiq; fere in suis, quas dixi, epistolicis imitationibus recurrit: verum haut pauca, quæ de suis admiscuit, elegantibus styli spectatoribo, minus arriserint puto. Præterea imitatio est nimis coacta & inæquabilis stylus, quod aliter

ter fieri vix poterat: cum alia essent Ciceroniana, alia Schraderiana; sine aptis connectendi modis, sineque eo, quo decebat judicio compilata. Agnoscent hoc mecum facile ac fatebuntur, quotquot illius inspiciendi copiam vel habent vel habuerunt. Mutavi itaque consilium, fecique, ut concinniori commodiorique forma hoc prodiret opusculum, quo minori a juventute impensa posset comparari. Qua quidem in re nullam aucupari laudem, nullam gloriam volui, sed id modo agere, ut ne humanitati ac officio, quo juventuti obstringor, defuisse, provocatus inprimis, viderer. Malui præmittere nescio cujus de arte epistolica præceptiones, tum quia brevitate se mihi commendabant, tum quia ad mentem Aristotelis & Schraderi erant concinnatæ, tum quia forte, recudendo huic libello cum vacarem, ad manus meas deferebantur, ut sic exempla haberet juventus cum præceptis conjuncta; nec dubito, quin insignem ei utilitatem sint allaturæ, utpote ex fonte ipso ac rivulis limpidioribus, non

e la-

e lacunis recentiorum haustæ. Quod si hæc levia a te, Humanissime Lector, æqua accipi mente intellexero, eo me facile perpelles, ut graviora propediem ac ardua magis a me subsequantur. Et cur diffitear, hoc ipso tempore prælo jam paratas me habere magni illius Forstneri desideratas dudum, ab ipsoque Boineburgio, Boeclero aliisque impense efflagitatas epistolas politicas selectiores, quibus multa memoratu digna, historiam ejus, quo is vixit, temporis, & arcaniora status illustrantia continentur. Has dabo ex pie defuncti autoris autographo descriptas, emendatas, argumentis quoque & indice, notulisque subinde, sicubi opus fuerit, adauctas. Præmittam, de epistolis politicis, quam Jo. Schefferus, fato in Suecia præreptus, absolvere non poterat, dissertationem peculiarem, in qua de earundem orgine, natura, scriptoribus, pro ratione instituti commentabor. Interea hisce nunc fruere, Lector, meisque conatibus fave, & Vale.

DE

DE ARTE EPISTOLICA.

SECTIO I.

Quod Cicero de facultate oratoria dicit, idem in epistolica locum habeat, necesse est. Nimirum oportet (1) invenire, quid scribas, (2) inventa disponere, (3) ornare verbis.

§. 2. Ad inventionem haut parum facit, si semper ante oculos versentur hæc tria: (1) *quid* pro themate tractandum? (2) *ad quem?* (3) *quis tu ipse in ordine* ad alterum? Hinc enim fiet, ut non tantum morata oratio, quæ non postremas hic tenet, per totam epistolam servetur; sed imprimis etiam, ut exordiendi materia, ita & thema confirmandi deesse vix possit.

§. 3. Cæterum hic non ad pares scribendi tantum rationem, sed inprimis ad superiores quæ dirigenda est, spectantes, selecto themate ac genere epistolico, nihil invenimus prius observandum, quam ut decenti exordio aditus paretur, id quod non tam prolixe, quam una vel duabus ad summum periodis, nonnunquam aliquot tantum verbis, fieri par est.

§. 4. Atque ut hac de re primum agamus, digne exorsurus tria illa, supra memorata, perpendet, unde fere semper aliquid fluemora

morati, sive de tuo, sive de alterius nomine, sive deniq; certissime ex re ipsa; cujus ergo locos insitos ante elaborationem cujusvis thematis, cum orator, tum epistolographus indagare monetur Dispos. Orat. prima.

§. 5. Quod ad personam & scribentis, & ad quem scribitur, attinet, adjuncta personæ probe attendenda sunt. Hæc sequenti modo enumerat Quinti ianus lib. V. c. 10. *Genus, Natio, Patria, Sexus, Ætas, Educatio, Habitus corporis, Fortuna, Conditio, Natura animi, Virtus, Studia, Affectus, Locus, Tempus, Occasio, Casus, Facultas, Instrumentum, Modus Signum*: quanquam & inter hæc rerum adjuncta compareant.

§. 6. Ex locis insitis, qui ad thema qvodvis componendum faciunt, & suo loco habentur, exordio inservire possunt epistolico *Partium enumeratio*, v. c. si causas scriptionis alleges; *Causæ* præsertim finalis & efficiens: *Effectus, Genus, Species, Antecedentia, Consequentia, Similia, Dissimilia, Comparata, Oppositа, Adjuncta.*

§. 7. Atque hæc ita nunquam non suppeditabunt materiam exordiendi, modo illa semper ad aliquam moratæ orationis partem accommodentur; puta *benevolentiam, probitatem, prudentiam.* Ubi tamen respectus simul ad ipsum thema minime debet negligi, ne defectu judicii laborare videamur, id quod plane foret contra prudentiam omnem.

§. 8.

§. 8. Exordium excipit ipsa res tractanda, seu ipsum thema. Hoc vel in ipso exordio contineri atque inferri, vel ipsi opportune annecti, vel denique expresse poni potest. Neque quicquam prohibet, quo minus interdum & sæpe quidem ab ipsis argumentis confirmantibus procedamus, atque sic desiderium nostrum tacite insinuemus.

SECTIO II.

§. 1. Opportunum hinc videre, quæ ad ipsum thema epistolicum tractandum faciant potissimum. Petenda hæc sunt ex doctrina argumentorum, duplicia quæ constituuntur, artificiosa & artis expertia. Hæc sunt *Leges*, *Testimonia*, *Pacta Conventa*, *Quæstiones*, *Jusjurandum*. Artificiosa sunt triplicia; *Rationes*, *Mores & Affectus*.

§. 2. Hæc enim uti in omni oratione, ita & in epistolis locum habent. Rationes quidem, seu argumenta ducuntur ex locis (non prætermissis insitis istis, de quibus supra) Rhetoricis, qui certis causarum generibus proprii habentur.

§. 3. Cujuscunque igitur causarum generis thema epistolicum fuerit, ejus etiam locos ad hoc confirmandum consulere oportet. Ita *deliberativum genus*, quo suademus sive dissuademus, utile sive bonum, & damnosum sive inutile, locis plurimis demonstrat. Vid. cap. 6, & 7, lib. 1. Rhet. Aristotelis.

Utile.

§. 4. Ab utili petuntur tres generales propositiones:

(1) Quicquid facit ad obtinendam, vel conservandam, vel augendam aliquam partem felicitatis, est utile.

(2) Quicquid appetitur, est utile.

(3) Quod minus malum est, est utile, sive quicquid malum depellit.

Sub hisce tribus generalibus propositionibus plurimæ continentur speciales.

Sub prima:

1. Quicquid facit ad obtinendum vel conservandum bonum spirituale, est utile.
2. Quod tranquillam reddit conscientiam.
3. Quod ingenio prodest, ejusque vires auget, uti & judicium, memoriam.
4. Quo possumus nobis eruditionem & rerum præclararum scientiam comparare.
5. Quicquid facit ad aliquam virtutem moralem.
6. Quicquid confert ad vitæ conservationem.
7. Quod vires corporis & robur auget vel restituit.
8. Quod pulchritudini prodest.
9. Quod affert commodam senectutem.
10. Quod ad nobilitatem facit.
11. Quod libertatem conservat ac reddit.
12. Quod divitias parit, conservat & auget.
13. Quod

13. Quod pacem conservat & augêt.
14. Quod honorem parit & auget.
15. Quod ad amicitiam virorum bonorum aliquid confert.
16. Quod quocunque modo prospere evenit, est utile.

Sub secunda:

1. Quo præsente, nihil aliud expetimus.
2. Quod ab aliis expetitur.
3. Quod prudentes, vel omnes vel plures, vel unus etiam præstantissimus appetendum judicat.
4. Quod amicis nostris gratum est.
5 Quod gratum est iis, quos magni facimus.
6. Quod nos ipsi antea voluimus, & optavimus.
7. Quod unicuique conscientia dictitat.
8. Cujus gratia aliud quippiam expetivimus.
9. Cujus gratia sumtus fecimus, & labores suscepimus.
10. Quo dolent nostri adversarii & inimici.
11. Quo dolent, quodque nolunt improbi.
12. Quod quilibet, quin & hostes laudant.

Sub tertia:

1. Quicquid depellit malum vel spirituale, vel animi, vel corporis, vel fortunae, illud est bonum.

2. Cujus contrarium malum est, id ipsum est bonum.

Plura huc pertinentia fluunt e superioribus.

Inutile.

§ 5. Ab inutili, quod vel nihil facit ad felicitatem, vel præcipue felicitatem tollit, aut aliquam partem tollit, vel etiam partem miseriæ affert, secundum partes miseriæ (quæ sunt quadruplicia mala, spiritualia, animi, corporis & fortunæ) ducuntur hæ propositiones generales: (1) inutile, quod facit ad aliquam partem miseriæ afferendam, (2) quicquid non expetitur, sive quicquid alii fugiunt, (3) quicquid bonum aliquod impedit.

§. 6. *Genus demonstrativum* locos habet Honestum & Turpe. *Honesti*, quod in operatione secundum virtutem consistit, propositiones generales sunt quinque.

1. Honesta est virtus omnis.
2. Quod ad virtutem aliquam facit
3. Virtutis signa & effectus.
4. Virtutis adjunctum.
5. Honestum est, facere ea, quæ conveniunt.

Sub prima propositione comprehenduntur omnes virtutes, cum intellectuales, tum morales.

Sub tertia propositione intelliguntur singularum virtutum signa & effectus.

Ita

Ita signa *fortitudinis* sunt, e. g. (1) in aliqvot fuisse præliis, (2) primum in periculis fuisse, (3) nunquam detrectare difficilia, (4) nunquam defatigari, (5) posse vigilare, (6) frigora, sitim, famem posse perferre &c.

Signa *constantiæ*, e.g. (1) non facile de quovis infortunio conqueri, (2) adversa æqve ac secunda ferre, (3) adversitatis causa locum non mutare.

Signa *temperantiæ*: (1) vitare loca suspecta, (2) non adspicere turpem mulierem, (3) non amare pocula & luxuriem, (4) otium & desidiam fugere, (5) corpus agere mediocre, non opimum, crassum & obœsum.

Liberalitatis signa: (1) aliis benefacere, (2) communicare bona sua cum aliis, (3) mutuum dare absque usuris, (4) non exprobrare beneficia, (5) gloriam potius, quam divitias habere, (6) lucrum non captare a pauperibus.

Signa *mansvetudinis*: (1) non nisi gravissima injuria ad iram moveri, (2) ignoscere inimicis, benefacere &c.

Modestiæ signa: (1) dignis honorem exhibere, (2) non nimium honorem sibi exquirere, (3) non nimis de se magnifice loqui.

Virtutum homileticarum signa: (1) non facile ad iram moveri, (2) alterius gratia perferre molestias, (3) non conqueri, si alterius causa laborandum est, (4) veritatis studiosum etc.

Justitiæ signa & effectus: (1) suum cuique tribuere, (2) neminem lædere, (3) gratum esse, (4) in judicio non corrumpi.

Virtutis *Adjunctum* est honor, unde sequuntur hæ propositiones: (1) honestum est, honorari a multis, (2) honorari ab honoratis, (3) ab inimicis, (4) honoris signa & omnes partes, quae laudem aliquam merentur.

Qualia sunt, (1) in altiori gradu esse constitutum &c. (2) hominum sermonibus celebrari, (3) erigi alicujus gratia monumenta, &c. (4) habere ea, quae apud alios magni fiunt, (5) non sordidum vitæ genus agere.

Quæ conveniunt, (1) facere ea, quæ conveniunt ætati, generi, conditioni, (2.) majorum vestigia laudabilia premere, (3.) parem esse iis bonis, quæ ante feceris, (4.) ferre, quæ alii ferunt, pares vel minores.

Turpe.

§. 7. *Turpis* natura ex hactenus tractato honesto facile patet. Unde & totidem axiomata fluunt ex his V. contrariis generalibus.

Turpe est (1) omne vitium, (2.) quicquid facit

cit ad vitium, (3) vitiorum effectus & signa, (4) ignominia & dedecus, & signa illius, (5) non facere, quod convenit.

Genus Judiciale.

§. 8. Hujus loci sunt justum & injustum. *Ejusto* petuntur tres generales propositiones: (1) quod fit secundum leges, justum est, (2) æqualitatem observare, (3) æquitatem observare

Sub prima:

(1) Quod jus naturale dictitat, (2) quod divinæ voluntati convenit, (3) quicquid magistratus jubet, (4) promissis stare, &c.

Sub secunda:

(1) Neminem lædere, (2) suum cuiq; tribuere, (3) sibi non plus tribuere, quam par est, (4) pro beneficiis beneficia reddere, (5) bene meritos præmiis & honore afficere, (6) sontes & malos pœnis afficere.

Sub tertia:

(1) Injuriam acceptam æquo animo ferre, (2) cum homine transigere malle, quam lites serere, (3) ignoscere errori, imbecillitati, vel infortunio, (4) respicere animum potius, quam factum, (5) beneficia & merita majorum respicere, (6) de suo jure aliquid remittere, (7) attendere, qualis quis antea fuerit, non, qualis nunc sit.

Ex injusto.

§. 9. (1) Injustum est, quod est contra legem, (2) æqualitatem, (3) æquitatem. Sub quibus singulis subsumi aliæ possunt, ut supra.

§. 10. Atque hi sunt loci cujusque generis causarum proprii, qui & assumti fieri possunt, si ex uno ad alterum tractandum adhibeantur. Adde his *modos amplificandi*, qui sunt,

(1) si solus,

(2) si primus quid fecerit,

(3) si cum paucis,

(4) si maxime, aut præcipue aliquid gessit,

(5) si eo tempore aut loco, quo vix ab eo poterat expectari,

(6) si sæpe,

(7) si præmia aut pœnæ ejus causa repertæ sunt.

(8) si comparetur cum illustribus.

Quos quidem modos præsertim consulere oportet in amplificandis aliorum beneficiis, & omni demonstratione.

De cæteris amplificandi locis, ut *magno & parvo*, *possibili & impossibili*, *necessario*, *facto*, *futuro*, vide Aristotelem.

Mores.

§. 11. Morata oratio continet causas, ex qui-

quibus fides dicenti scribentive habetur facilius. Ejus partes sunt *Prudentia*, *Probitas* & *Benevolentia*.

Prudentiam ostendit, qui de proposito affert, quæ maxime ad illud faciunt.

Probitatem sive virtutem ostendit, qui ubique is videri studet, qui eam maximopere amet ac sectetur.

Benevolentiam vero significat, qui se benefacturum alteri ostenderit; captat, qui sese alteri submiserit, ipsiusque ingenio sese accommodaverit.

Multum quidem prodest, & ad prudentiam & benevolentiam ostendendam, nosse illorum mores, ad quos dirigitur oratio vel scriptio: cum vero illi pro ætatis, fortunæ & habituum, uti & imprimis affectuum varietate varient; reliquorum quidem naturas ex Aristotele petamus, quanquam ipsum hæc ingenium, & respectus ad eum, quem petit oratio, abunde docent; affectuum rationem ex eorum doctrina mox percipiemus.

Affectus,

Qui ad persuasionem quasi obsignandam, & movendum alterius animum adhibentur, sunt potissimum sequentes: *Ira*, *Amor*, horumque opposita; item *Metus*, *Fiducia*, *Pudor*, *Misericordia*, *Indignatio* & *Æmulatio*.

Ira

Ira est appetitio, cum ægritudine conjuncta, ulciscendi ejus, qui aut nos ipsos, aut nostrorum aliquem, cum id eum facere non conveniret, neglexisse videatur.

Neglectus sunt tria genera: contemtio, incommodatio, contumelia. Irascimur itaque iis, a quibus afficimur tribus illis modis.

Delinitio est sedatio & restinctio iræ. Lenes autem sumus illis, qui trium illorum injuriæ generum expertes fuisse videntur: vel qui inviti, præter consvetudinem, ob subitum motum vel causam nos læserunt; vel qvos poenitet, qui sese nobis abjiciunt, aut deprecantur, quos metuimus: vel si ipsi in prospero simus statu, si nobis satisfactum est, si merito videmur læsi.

Amor est affectus jucundus, quo alteri bene volumus, & benefacere studemus ipsius causa. Amici sunt, qui se mutuo amant. Amare itaque solemus, qui benefacere volunt, atque benefaciunt, atqve hi possunt ad tria genera revocari, ita ut amemus (1) virtute præditos, (2) benevolos & benemeritos, (3) similes. Ad quas tres classes semper respiciendum, sive ab aliis amari, sive iis nostrum erga sese amorem persuadere velimus.

Odisse est velle alicui mala, eaque ipsi efficere. Odimus itaque (si naturam sequimur)

mur) (1) omnes vitiosos,(2)omnes malevolos, (3) dissimiles.

Metus est affectus molestus, ex imaginatione ingentis mali ortus, quod quidem imminere putamus. Metuimus itaque omnia terribilia, quæ possunt comprehendi tribus seqq. propositionibus: (1) metuimus omnia, vim interimendi aut nocendi habentia, (2) molestiam magnam inferendi vim habentia, (3)metuimus signa malorum molestorumq;. Quo majora autem sunt mala, eo sunt terribiliora. Itaq; mala amplificanda sunt maxime, ad incutiendum metum.

Fiducia est affectus jucundus, ex firma imaginatione boni futuri. Fiduciam itaque excitant omnis generis bona, quæ possunt nobis contingere. Habent hunc affectum existimantes, bona ad se perventura, quales sunt: (1) qui putant, nihil mali sibi posse contingere, (2) qui mala a se depellere facile possunt.

Pudor est molestia & perturbatio animi, orta ex iis malis, quæ ignominiam inurere videntur, ubi illa nota est apud eos, quorum rationem sibi quis habendam putat. Pudorem itaque incutiunt omnia turpia, sive mala. Turpia autem incutiunt pudorem, si nota sunt iis, quos magni facimus, vel iis, qui possunt manifestare illis, quos magni facimus.

Misericordia est ægritudo animi, orta ex ma-

ex malo ingenti, quod contigit illi, qui forte hac indignus est, præcipue si malum hoc nobis aut nostrorum alicui evenire possit. Misericordia itaque afficiuntur ex malis ingentibus aliorum, (1) quibus aliquando simile quid contigit, (2) qui putant, sibi posse adhuc ejusmodi quid contingere. Movent vero misericordiam mala ingentia, quæ qualia sint, ex locis amplificationum petendum est: præcipue movent misericordiam, si mala, quantum fieri potest, oculis exponantur.

Indignatio est dolor, ortus ex aliquo bono ingenti, quod contigit indigno. Ad indignationem itaq; movendam (1) amplificanda sunt bona, quæ homini contigerunt, (2) ostendendum est, eum esse indignum bonis istis: quod fiet, si nec meritis aliquem, nec virtute clarum dices, contrarium autem de ipso ostendes.

Æmulatio est dolor, ortus ex bonis honorificis aliorum, quod ipsi eorundem participes non simus. Ad æmulationem movendā (1) amplificanda sunt bona honorifica, quæ alicui contingunt, (2) ostendendum est, & illum, cui vis æmulationem excitare, eorum bonorum participem esse debere, & posse.

Tantum etiam de Affectibus.

Huma-

DEDICATIO.

Humaniorum litterarum Studiosis in Academia Julia CHRISTOPHORUS SCHRADER S. D.

QUem in vestrum usum, *Eximii Juvenes*, concinnavi, lubens Vobis dico dedicoque libellum, epistolarum contexendarum rationem eam continentem, quam eruditissimo cuique approbatum iri confido. Duos enim omnis ævi clarissimos, quos sequamini, vobis hic exhibeo doctores, ARISTOTELEM & M. TULLIUM, quorum ille, quæ ad dicendi artem pertinent accuratissime omnium pervidit, hic dicendo eloqventissime expressit, tam congrue uterque, ut quemadmodum Cicero Aristotelem, etiam hac in arte, maxime se admirari, palam profitetur, ita Aristoteles, si per tempora potuisset, Tullium tanquam genuinum discipulum, & viæ a se commonstratæ optimum felicissimumque sectatorem com-

complecti debuisset. Et vero qui Rhetoricæ finem, partes & genera probationum non ignorat, ultro fatebitur, epistolis quoq; scribendis, præceptiones hujus artis deservire. Neque enim fere est epistolarum argumentum ullum, quod non fidem facere legenti cupiat. Hujus autem impetrandæ quæ ratio ac via alia esse possit, quam ista, quæ natura duce, a dicendi magistris eorumque principe Aristotele inventa ac præscripta, a Marco Tullio autem, etiam dum epistolas exarat, est calcata? Hos ego Duumviros Vobis, *Amici*, ideo hic unos propono, quoniam ut in reliquis doctrinæ liberalis partibus, ita & in Latinæ eloqventiæ studio certos quosdam eosque optimos sectari, iisque veluti innutriri consultum est: Qui enim aut plurimos pervagantur, aut non nisi infimæ notæ scriptores versant nec constare sibi possunt, nec ad egregium aliquid adspirare. Ubi vero utriq; horum, Rhetori inquam illi, & illi Oratori diutule immorati fueritis, tum demum proderit & adire alios, qui recte di-

ete dicendi vel scientia vel exemplis vos augere possint. Ex artis quidem scriptoribus Aristoteli nostro proximi sunt, sed longo intervallo proximi, *Dionysius uterque*, *Hermogenes*, *Cicero*, *Quintilianus*, & qui ad epistolicum characterem propius respexerunt, *Demetrius*, *Libanius*, (si tamen hujus sunt, qui feruntur, libelli) *Gregorius Nazianzenus* noster in epistola ad Nicobulum; tum & recentiores *Lippus Brandolinus*, *Rochus Pilorcius Perusinus*, *Erasmus*, *Lipsius*, *Melchior Junius*, aliique magno numero, quorum præceptionibus nemo tam est ingeniosus, quin adjuvari possit. Epistolarum vero Latinarum antiqvum auctorem, vix habeo, quem post Tullium commendem, præter *Plinium juniorem*, cujus epistolæ ut ad Tullianum flumen non accedant, acúmine tamen, elegantia & arguta brevitate sunt commendabiles. At *Sidonius Apollinaris*, *Symmachus*, *Ennodius Ticinensis* aliique seqvioris ævi, cum ingenio & ipsi valuerint, τὸ λογικὸν, τὸ ἠθικὸν, & τὸ παθητικὸν, quod epistolam

deceat, ſuggerere poſſunt, ſed quod ad elocutionem ac ſtylum pertineat, juvare parum poſſunt; Sunt enim, ætatis qua vixere vitio, in re Latinitatis inteſtabiles, adeo ut hac parte à multis, quī poſt renatas humaniores litteras ſuperiori & hoc noſtro ſæculo Latinas epiſtolas ſcriptitarunt, multum ſuperentur. Horum vero, recentiorum inquam, epiſtolæ cum aliæ verbis niteant, rerum fructu caſſæ, aliæ præclaras res doceant, ſtyli minime probabilis exemplo, aliæ denique pulcherrimarum rerum copiam exculta dictione explicent, quibus primæ, ſecundæ tertiæve, ſint tribuendæ, Vos, copiose ornateque loqventis ſapientiæ ſtudioſi, minime ignoratis. Agite vero, o Optimi, accipite & a nobis hunc ſtudio veſtro dicatum libellum, quo Ariſtotelis Rhetoricorum etiam in epiſtolis exarandis inſignem uſum perſpicue commonſtrare, mihi inprimis fuit propoſitum. Quod ſi uti eo haut ſegniter, & argumentorum fontem, paſſim indicatum, in Rhetore ipſo adire, atque ornata

nata dictione exprimere alloboraveritis, confirmo futurum, ut orationum quoque scribendarum modum genuinum magna ex parte per hæc veluti προγυμνάσματα addiscatis. Ego vero operæ isti addam & alteram, atque eos, qui ad hanc methodum scriptiones contexuerint, in domestica Eloquentiæ schola dicentes audiam, de omnibus, quæ ad rectam orandi rationem pertinent, fidelis undecunque monitor futurus. Salvete carissimi, studia vestra Deus secundet! Helmestadii in Acad. Julia postrid. Id. Nov. CIↃ IↃ CLIV.

Numeri Romani libros & capita, barbarici epistolas & incisa signant. Epistolarum M. Tullii Siberiana distinctio, numeris parenthesi inclusis denotatur.

DISPOSITIONES EPISTOLICÆ.

I.

PRima epistola a doctore adolescentiæ petat, ut fratris filium in disciplinam suam ac fidem recipiat. Quod ut illi persvadeat, adhibebit triplex illud ab Aristotele in 1. Rhet. cap. 11. vers. 6. & seqq. indicatum argumenti genus, λόγος, ἦθη, πάθη, hoc est, *rationes*, quæ demonstrent: *mores*, qui concilient; *affectus*, qui impellant. Rationes, sive argumenta δεικτικὰ, quæ huc faciant, magno numero suppeditantur 1. Rhet. v, vi, & vii, capitibus, e quibus nunc satis esto, seligi quinque seqventia.

Primum enthymema e 1. Rhet. v. versib. 3, & 22. tale potest confieri:

Fama tibi parta haut parum augebitur, si hunc recipies & erudies.

Recipe ergo illum, & institue.

Antecedens hujus enthymematis in hanc sententiam dilatari poterit: *Dudum ad nos allatum*

tum est, quanta industria, fide, dexteritate, creditam tibi juventutem erudire soleas &c. Quam si, ut in tot aliis, ita in isto quoque adolescente ostendere volueris, magna ad nominis tui famam accessio fiet, & tanto quidem major, quanto nos remoti a te longius, & laudes tuas propagandi cupidiores sumus &c.

Secundum enthymema suggerit 1. Rhet. v. versus 40.

Multorum & quidem bonorum amicitiam tibi parabis.

Recipe ergo illum.

Antecedens ad hunc modum proponatur: *De familia nostra, absit, ut quidquam ego dicam ambitiosius, ad te præsertim, acerrimum alienæ virtutis existimatorem; illud tamen dissimulare nequeo, nec te fugit, præter eos, qui sanguine & affinitatibus nos contingunt, alios haut paucos in hac urbe præstantissimos viros esse, quos tu omnes tibi vel conciliabis vel arctius adjunges, si propinquo huic nostro beneferis.*

III. Enthymema e 1. Rhet. VI, 33. Καὶ ὁ φρονίμων τὶς προέκρινεν. Quod aliquis ex prudentibus aut bonis suo judicio ceteris antepositi, id eligendum est. Hac propositione majore omissa, sub eadem ita infer: *Pater adolescentis, vir, dum vixit, optimus prudentissimusque, tuæ inprimis disciplinæ hunc filium suum tradi voluit.*

IV. Enthymema e 1. Rhet. VI, 39. Καὶ τὰ ἁρμόττοντα. Quæ cuique conveniunt, bona sunt: Hæc propositio gignit ejusmodi minorem: *Ecquid autem tibi, qui rectorum studiorum moderator publica auctoritate es constitutus, convenientius esse potest, quam si ingenui, probi, & industrii adolescentes tibi & commendentur & recipiantur in disciplinam? &c.*

V. Enthym. e. 1. Rhet. VI, 44. Καὶ πρὸς ἃ εὐφυεῖς εἰσὶ καὶ ἔμπειροι. Ad quæ apti nati sunt, & quorum sunt periti, ea sunt ipsis eligenda. *Præsertim cum ad hanc provinciam dexterc administrandam te & natura finxerit, & tot annorum experientia plane confirmaverit.*

Quinque istis enthymematibus miscebitur ἠθος sive morata oratio, alterum illud argumenti oratorii genus. In primo itaque enthymemate laudationem doctoris ita institues, ut adulationis nulla esse possit suspicio. In secundo modestiam ostendes, in celebrandis cognatis tuis. In tertio defuncti virtutem ingenue & libere prædicabis. In qvarto & quinto viri munus, ingenium, & peritiam verecunde extolles. Denique moratum & illud est, si cum tuum, tum ejus, quem commendasti, gratum animum pollicearis. Memorem enim beneficii esse, est virtutis; virtutem spirans oratio, quia morata est, animum audientis conciliat, hoc est, benevolum reddit. benevolentior redditus, juvabit promtius. Παθη-

παθητικὸν erit, gratiæ affectum ciere, c. 2. Rhet. VII, 3. Fiet id, si ostendas, adolescentem hunc vehementer indigere præceptore, tenerrime talem desiderare, & ætatem illius doctrinæ percipiendæ maturam esse atque opportunam.

Imitari licebit Ciceronis ad Curionem lib. II. ep. 6. juxta veterem editionem (quæ est lib. III. ep. 12. in editione Siberiana, quam & deinceps in parenthesi semper designabimus) ad Cœlium 11, 14. (v. 9.)

ELABORATIO.

Dudum ad nos allatum est, quanta industria fideque ac dexteritate creditam tibi juventutem erudire, quamque nihil intermittere soleas eorum, quæ ad rectam ingeniorum culturam quoqvo modo pertinere arbitraris. Quam si, ut in tot aliis, ita in meo quoque necessario adhibere volueris, magna utique ad virtutis tuæ laudem accessio fiet, & tanto quidem major, quanto nominis honorisque ac famæ tuæ propagandæ sum cupidior. Nec vero me solum, sed illius quoque parentem inprimis, aliosque insuper quam plurimos sanguine & affinitatibus

nobis conjunctos, tibi devinxeris, si propinquum hunc nostrum, in disciplinam fidemque tuam receptum, literis ac moribus fideliter instruas. Quod quin ultro libenterque sis facturus, neutiquam nos dubitare sinit propensissima tua erga omnes ingenuos probosque adolescentes voluntas: præsertim cum ad hanc provinciam dextre administrandam te & natura finxerit, & tot annorum experientia plane confirmaverit. Quare etiam atque etiam abs te peto, ut laudatum hunc juvenem in numerum discipulorum tuorum benevole recipias, ejusque studia, pro singulari tua, quam omnes prædicant, humanitate & doctrina provehas ac ornes. Quo beneficio sicut majus in nos proficisci poterit nullum: ita nostrum erit, omni studio providere, ne te illius pæniteat, nec in immemores aut ingratos illud te contulisse, omnes intelligant. Vale.

II.

SEcunda epistola, præcedenti respondens, petitioni isti annuat, & pariter adhibeat rationes, mores, affectus. Et initio quidem

dem mores, modestiam videlicet in accipienda sua laude, ostendat oratione, quæ sit isti similis: *Quod meam in juvandis adolescentiæ studiis industriam tam large prædicas, benevolentiæ potius tuæ quam judicii testimonium esse censeo: probe enim conscius mihi sum meæ tenuitatis.* &c. *Nec tam, quantum præstem, quam quantum præstare debeam, soleo attendere.* &c. Erit & illud moratum, si tuum in liberalis doctrinæ studiis propagandis singulare desiderium præ te feras, & ob id commendatum adolescentem te in disciplinam tuam recepturum pollicearis, ea tamen lege, si ingeniosus sit, & discendi cupidus, horum primum virtutem, secundum benevolentiam, tertium prudentiam arguit, quas moratæ orationis partes Aristoteles noster commonstrat, 2. Rhet. 1, 9. & 10.

Rationes, sive λόγοι, quibus hunc adolescentem merito a te recipi demonstretur, variæ admodum occurrent perlustranti προτάσεις, quæ de felicitate, bono & honesto, horumque contrariis, plures octingentis ab Aristotele nostro suggeruntur lib. 1. Rhet. v, vi, vii. & ix. capp. Sufficiant nunc istæ, quæ ad primum oculi conjectum se ingerunt.

I. Enthymema e 1. Rhet. v, 12. Εὐτεκνία *pars magna est publicæ privatæque felicitatis.*
Ergo diligenter curanda.

Poterit isto aut simili modo efferri: *Gratulor mihi, eam me provinciam indeptum, in cujus recta administratione magna pars vertitur humanæ nostræ felicitatis, quam ut & in tuo illo, quem commendas, ne negligam, omnibus viribus allaborabo* &c.

II. E. 1. Rhet. VI, 24. ὃ τὸ ἐναντίον κακὸν. Cujus contrarium est malum, illud est bonum. *Muneris mihi crediti immemor & veluti desertor sim, si hoc, quod petis, recusem* &c.

III. E. 1. Rhet. VI, 43. Καὶ ὧν ἐπιθυμοῦντες τυγχάνουσιν. Quæ homines appetunt, bona esse ducunt. *Dudum desidero, tales mihi tradi adolescentes, ad quorum præclaram indolem optima educatio domestica accesserit. Hi enim uberiorem e disciplina nostra fructum percipere sunt idonei* &c.

IV. E 1. Rhet. IX, 20, ὅσα ὑπὲρ τῆς πατρίδος. Quæ pro patria quis facit, suo commodo neglecto. Hæc προτασις hujusmodi orationem præbet: *Potuissem forte munus aliud, & quidem augendo patrimonio longe fructuosius dudum capessere, ni potius mihi esset, patriæ ea parte, qua illa maxime laborat, succurrere, & meis commodis insuper habitis, reip. bonos cives educare &c. Cujusmodi ut & tuus evadat, omni opere annitar* &c.

Quin-

Quintum enthymema subministrat illa προτασις 1 Rhet. IX, 25. Καὶ περὶ τὰς εὖ ποιήσαντας. Quæ in eorum negotiis, qui beneficium in nos contulerunt efficiuntur. *Nondum exciderunt animo, nec excidere unquam debent ea beneficia, quæ & a te & a beato adolescentis hujus parente mihi olim liberaliter sunt præstita: quorum memoriam ut sanctè mecum adhuc colui, ita nunc tandem reddere vicem, opportunum erit ac suave.* &c.

Affectus amoris excitabitur, si te illi, qvem commendavit, benefacere velle ostendas, 2. Rhet. IV, 8.

Exemplum, quod sequamini, sunto Ciceronis ad Vatinium lib. V, 11. (XI, 27.) & ad Cassium XV, 15. (V. 8.) epistolæ.

ELABORATIO.

QUod meam in erudienda juventute fidem, dexteritatem atque industriam tam large prædicas, benevolentiæ potius tuæ atque in me amoris, quam veri judicii testimonium esse censeo. Ipse enim tenuitatis meæ mihi satis conscius, quas immerenti tribuis laudes, agnosco minime, nec quantum debeam, sed quantum per imbecilles ingenii

genii mei vires præstare valeam, attendere soleo. Interim non possum, quin mihi gratuler, eam me provinciam adeptum, in qua dextre administranda non sane exigua felicitatis humanæ pars vertitur: quam ut nec in tuo illo necessario, quem commendas, negligam, omnibus viribus elaborabo, faciamque, ut intelligas, tam tui honoris, quam commodi illius me semper esse cupidissimum. Etenim & muneris mihi crediti, & beneficiorum tuorum plane immemor essem, si in formando poliendoque propinquo hoc tuo ullum unquam laborem operamque defugerem. Quare de me tibi persvadeas velim, eo me curas cogitationesque omnes sedulo collaturum, ut is tuæ pariter ac tuorum exspectationi, Deo juvante, satisfaciat, talisque evadat, qualem eum esse, & Reipublicæ expediat, vestræque familiæ cumprimis inclutæ sit gloriosum.

III.

TErtia epistola a viro erudito & sapienti petat, ut in clientum numero te habeat, atque in optimarum literarum studiis, recte

recte instituendis, salutari consilio tibi succurrat; Ad exemplum Vatinianæ ad Tullium v, 9. (XI, 15,) & Tullianæ ad Marcellum XV, 10. (V, 3.)

Ordiatur a duplici morata oratione, & primo adolescentiam ducis egere, ingenue fateatur, inde virum, ad quem scribit, dilaudet ab eruditione, a prudentia, ab humanitate: utrumque enim hoc animum illius, ad quem scribis, tibi conciliabit. Enthymemata laudi amplificandæ plurima extant lib. 1. Rhet. cap IX. e quibus faciliora & dilatatu aptiora excerpantur.

Tum quod petit, persuadere nitatur his rationibus.

I. Enthym. e. 1. Rhet. VI, 15. Τὰ ῥᾳδίως γιγνόμενα. Quæ facile fieri possunt. *Quod adolescentiæ meæ regundæ faciat, in promtu tibi est, docere, qui optimorum studiorum campum non tantum ipse citra ambages decurristi, sed & aliis feliciter pridem commonstrasti &c.*

II. Enthym. ex 1. Rhet. VI, 44. Πρὸς ἃ τοῖς τοι. Ad quæ natura propensi sunt. *Et vero prudentia tua prodesse aliis, & cum primis cursum errantis ætatis moderari, in deliciis tuis esse novi, qui tempus, quod aliorum commodis non impendis, tibi perire censes. &c.*

III. E 1. Rhet. VII, 33. Καὶ ὧν αἱ ἐπιστήμαι καλλίους. Quarum rerum scientiæ pulchrio-

res

res &c. *Ecquid autem scitu aut pulchrius aut dignius, quam vagæ juventæ, intra rectos limites cohibendæ, rationem habere perspectam? Quod quidem insigniter præstare, cum tibi divinitus sit concessum, utere quæso ingenio & peritia tua, & mihi, in trivio hærenti, rectam viam commonstra.*

IV. e 1. Rhet. VII, 47. οὗ ὀλίγοι μετέχουσι. Cujus pauci sunt participes. *Agnoscis ipse, & dudum doles, nimium paucos reperiri, qui hoc agere aut possint aut velint. Quemadmodum autem tibi gloriosum erit, hanc, ab aliis vel spretam vel desertam, adeo salutarem provinciam, cum paucis feliciter administrare, ita mihi, in tanta peritorum ductorum penuria, eo enixius tua opera venit imploranda &c.*

V. Enthymema e 1. Rhet. VII, 49. Καὶ τὰ τῶν ὁμολογουμένων μείζω. Quæ majora sunt iis, quæ omnium opinione magna habentur. *Equidem parenti, a quo, post Deum, vitam & vitæ necessaria habeo, multum debeo: quod si vero studiorum morumque meorum constans & perpetuus dux esse, haut refugeris, tanto de me præclarius mereberis, quanto animus corpori, & vita recte instituta, vitæ ipsi antistat.*

VI. e 1. Rhet. VII, 63. Τὸ πρὸς πολλὰ χρησιμώτερον. Quod ad multa utilius est. *Quod si petitioni meæ annues, non mihi tantum & parentibus meis ingens beneficium exhibebis, sed & patriæ utilem civem, & tibi laudem haut vulgarem, & tuis quoque liberis gratum clientem parabis.*

Παθη-

παθητικὸν erit, si verecunde petas, & confidentiam, te, quod petis, obtenturum, præ te feras, & gratum animum pollicearis.

ELABORATIO.

Mihi jam pridem diligenter circumspicienti virum exquisitæ non solum doctrinæ virtutisque, verum etiam prudentiæ ac humanitatis, a cujus ore penderem, cujusque salutaribus consiliis in recte ineunda studiorum meorum ratione uterer, tu tandem præ aliis occurristi omnibus, quem potissimum ducem adolescentiæ meæ regundæ adsciscerem. Haut enim me fugit, quam divini humanique juris intelligens, quamque facilis ac promtus sis ad expoliendos optimos juvenes, quos veræ laudis gloria famaque vides incensos. Quorum in numero cum & ego haberi cupiam, majorem in modum abs te peto, ut quam alii te duce feliciter jam dudum ingressi sunt viam, eandem mihi quoque, in trivio hærenti, commonstrare ne dedigneris. Neque enim in tanta peritorum ductorum penuria quemquam novi alium,

qui

qui hanc in se provinciam suscipere, vel te melius administrare aut possit aut velit. Itaque tanto enixius tuam nunc imploro operam, quanto magis doctrinam, prudentiam, fidem atque industriam tuam iis probasti, quorum voluntas & consilium mihi pro lege est. Nec dubito, quin, qua es humanitate ac voluntate erga omnes bonos discendiq; cupidos propensa, mihi, ad veram solidamque eruditionem per optimarum literarum studia contendenti, dux adjutorque sis futurus. Id si feceris, non me tantum meosque parentes ingenti tibi obstringes beneficio, sed & patriæ utilem civem, & tibi inprimis tuisque gratum, aliquando clientem parabis.

IV.

QUarta, præcedenti respondens, pollicea-tur officia ad exemplum Tullianæ ad Appium Pulchrum III, 4. (III, 20.) (itemque epistolae 5. libri 11.) Et primo quidem epistolæ superioris moratæ orationi respondeat morata alia, qua modestiam in suomet elogio audiendo præ se ferat, fateatur suam tenuitatem, & simul propensum erga discendi cupidos testetur studium. His ita præmissis,

sis, operam suam enixiorem spondeat propterea, quod dignus sit, qui juvetur, & pauci rectam vitæ ac studiorum viam insistant, & ætas ipsa disciplinæ percipiendæ jam sit matura atque opportuna: quorum trium enthymematum majores propositiones reperietis, 1. Rhet. VI, 39. IX, 57. & 58. VII, 52. Poterunt illa in hanc sententiam, sed verbis vestro marte commutandis, proponi: Primum quidem hoc modo: *Sane & majorum tuorum claritas, & mea cum parente tuo, quoad vixit, arctissima consvetudo, meum in te officium requirunt, præsertim cum ingenii tui præclara indoles & animi singularis alacritas summa omnia spondeant &c.* Secundum: *Et vero eorum, qui in vita & studiorum cursu a recta via & aberrent, & aberrare malint, ingens hodie est numerus, ut eo enixus ratio nobis sit habenda ceterorum. &c.* Tertium: *Huc accedit, quod disciplinæ percipiendæ cumprimis apta est tua ætas, quæ si ociosa aut errabunda, Deus autem meliora, transmittetur, frustra olim ingeminabis illud: o mihi præteritos &c.*

Posthæc afferat quatuor monita, & singula uno alterove enthymemate excogitato confirmet. 1. Certum genus studiorum, tanquam unicum scopum, tibi elige atque propone. Immensior enim est omnis eruditionis campus, quam ut quaqua versum totus coli ab uno possit. 2. In iis tantum, quæ ad scopum studiorum tibi propositum faciunt,

versare, vitatis supervacuis. Ars enim longa est, vita brevis, adeoque vix ad necessaria sufficiens. 3. Veteres auctores præferto novis. Hi enim rivulorum instar sunt, qui sæpe fluunt lutulenti: In illis limpidus doctrinarum omnium fons exhibetur. 4. Esto audiendi studiosus, ita enim facillime discitur.

Quod ad vitæ modum attinet, commendet illi modestiam & temperantiam, duas adolescentiæ proprias virtutes.

Παθητικὸν erit, si ad optimorum adolescentum aliorum æmulationem horteris e 2. Rhet. XI, 9. 16. 17. & amorem denique, tum flagrans juvandi studium tuum repetas.

ELABORATIO.

VEhementer probo tuum erga me amorem, in quo nil desidero, nisi quod iste impellat, ut nimiis me laudibus oneres, quas si agnoscerem, me ipsum certe nimium amare viderer. Neque enim ignoro, qualis ego sim, qui cæteris potius omnibus in docendi munere, quam mihi ipsi satisfacio. Interim etsi doctrina atque prudentia aliis longe inferior, fide tamen atque industria nemini concedo, quam ut tibi etiam probem, quam

quam diligentissime studebo, faciamque, ut intelligas, me honori pariter commodisque tuis vere & ex animo consultum velle. Sic enim & majorum tuorum claritas, & mea cum parente tuo arctissima consvetudo postulat, præsertim cum ingenii tui præclara indoles, & animi singularis alacritas summa omnia spondeant. Et sane eorum, in quibus Reipubl. spes est, tanto major habenda videtur ratio, quanto plures hodie reperiuntur, qui a recta via non tantum aberrent, sed & abhorreant. A quibus quod te mature sejunxeris, impense tibi gratulor, magnopereq; hortor, ut quem cœpisti, hunc imposterum quoq; constanter teneas laudabilis instituti cursum. Apta nunc ad discendum ætas, aptæ ferendis laboribus vires; quibus nisi recte usus fueris, reique gerendæ occasionem per otium atque ignaviam amiseris, amissam frustra aliquando revocaveris. Quo magis oblatam nunc amplectere, & cum immensus eruditionis campus sit, quem totum emetiri adhuc nemini datum est, ante omnia certum studiorum genus tibi elige, cumprimis excolen

lendum, in eoque te potissimum exerce, vitatis rebus supervacuis atque ad scopum, tibi propositum, parum facientibus. Pessime enim sibi consulunt, qui tempus, melioribus curis destinatum, vel aliud, vel nihil, vel male agendo transigunt, cum aliena discere inutile, rebus nihili operam dare indecorum, in malis autem occupari, noxium valde planeque impium sit.

V.

QVinta petat ab amico, ut dum abest, usum bibliothecæ sibi concedat, quod Cicero Atticum rogat lib. IV. epist. 13.

Λογικὸν erit, si scribas 1. neque ipsummet domo absentem libris suis uti, & se ob disputationem orationemve scribendam iis carere non posse. 2. Nusquam alibi se eosdem libros nanciscì posse. 3. Idem aliis ab ipso pridem permissum.

Παθητικὸν, si te usurum illis, non abusurum, nec ullum manus vestigium in ullo volumine relicturum, spondeas 2. Rhet. IV, 19. Item, si observantiam tuam testeris, ipsius autem benevolentiam atque virtutem collaudes. Ibid. 24.

Ηθι-

Ἠθικὸν deniq; fuerit, si modeste profitearis, animum te gerere beneficii referendi cupidum.

ELABORATIO.

SIngularis tua humanitas, qua non minore cum laude vincis omnes, quam eruditione, hanc mihi præbet fiduciam, ut, tametsi nihil promeritus, audeam tamen tuum officium tam libere requirere. Cum enim liberalis ingenii exercendi caussa aliquam sive dissertationem, sive orationem conscribere mihi proposuerim, ad eamque elaborandam necessariis libris destituar, quorum mihi copia a nemine melius, quam a te, fieri potest, non dubitavi te per literas rogare, ut, dum abes, instructissimæ bibliothecæ tuæ usum benigne mihi concedas. Qua in re summam mihi præstabis benevolentiam, quæ nisi nota mihi satis perspectaque esset, verecundius sane hoc nunc a te contenderem. Sed quia jam multa & maxima tua in me exstant merita, estque animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere, non vereor

id a te & petere & exspectare, quod ad destinata mea, recte perficienda, mihi omnium esset utilissimum maximeque necessarium. Quod si a te, ut spero, impetravero, ego vicissim omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem denique omnem eo convertam, ut me non beneficii solum fructum, sed etiam pietatis gratique animi laudem quaesiviisse, intelligas. Unum hoc sic habeto, me nunquam commissurum, ut tantæ benignitatis oblitus videar, quin potius omni contentione elaboraturum, ut brevi literatus orbis cognoscat, illud, quod abs te proficiscetur, officium, cum publico nominis tui honore fore conjunctum.

Hanc eandem epistolam ex parte elaboratam habemus in Thes. Epist. Buchleri p. 62. edit. Lipsi.

VI.

SExta abnuat, quod rogatur, 1. quia periculosum sit, bibliothecæ, hoc est, thesauri sui clavem alteri committere, 2. Idque nuper a se suo damno factum, 3. Idem Hortensio amico intimo, a se denegatum, 4. Propediem se reversurum, & tum usum librorum, præsentem præsenti, affatim indulturum. Mo-

Moratum erit, amice ac blande rogare, ut æquo animo moram hanc ferat.

Affectus lenitatis movebitur, si memores, te jam in re majore fuisse ipsi gratificatum, 2. Rhet. III. 11. & dolere, quod nunc annuere nequeas, Ibid. 30.

ELABORATIO.

ETsi tibi, cæterisque omnibus, literarum fructum quærentibus, libenter gratificari soleo, tamen vehementer nunc doleo, quod petitioni ac desiderio tuo in præsentia satisfacere haut queam: quippe qui non semel adhuc expertus, qvanto cum periculo ac damno conjunctum sit, bibliothecæ, hoc est, thesauri sui clavem alteri, dum absis, committere. Equidem de fide atque integritate tua minime dubito: per alios tamen male sedulos, aut nimium curiosos rerum mearum scrutatores, factum est, ut obfirmato mecum animo constituerim, bibliothecæ meæ usum nemini me deinceps, ne quidem familiarissimo, concessurum. Atque hæc etiam caussa fuit, cur nuper Hortensio, amico

meo intimo, idem à me petenti, denegare sim coactus. Quocirca magnopere te rogo, ne graviter feras hoc quicquid est repulsæ, non ex aliqua erga te aut diffidentia, aut invidia, a qua me alienissimum esse nosti, sed ex constanti mea voluntate, decretoque, quod nunc mutari haut potest, proficiscentis. Ubi domum rediero, quod propediem, Deo felicitante fiet: non modo libri, museum, aditus ad me liber quotidie tibi patebit: sed ipse etiam pro viribus te adjutabo instruamque, ut intelligas, ex animo tuis me commodis inservire velle, nihilque impensius cupere, quam ut honestæ tuæ diligentiæ fructum feras multo uberrimum. Vale.

VII.

SEptima epistola petat, ut Marcelli patrui res, hoc Germanico bello præclare gestas, mandet litteris, ad exemplum Tullianæ ad Luceium v. 12. (1, 18.) Præmittatur morata oratio, eaque 1. verecundiam tuam in petendo spiret, 2. eloqventiam istius in historia dilaudet. Inde memorentur partes belli nostri Germanici & prælia, quibus Marcellus interfuit: nempe quod in Lutterensi ad Barem-

ber-

Bergum anno CIↃ IↃC XXVI. miles fuit cohortis Prætoriæ, in Lipsienſi anno CIↃ IↃC XXXI. Optio, in Lutzenſi Centurio, ad Witſtochium Tribunus, ad Lipſiam CIↃ IↃC XLII. Equitum magiſter, & tandem Oſnabrugæ & Monaſterii inter præcipuos Caduceatores. Sequantur enthymemata. 1. Utilis erit hæc hiſtoria per eadem vitæ veſtigia ingreſſuro, ut inde tanquam e ſpeculo, quid agendum ſit, quid vitandum, perſpiciat. Ea animi libertate uteris, ut vituperanda reprehendas, & quæ recte ab ipſo facta, comprobes. 2. Eadem ad parem nominis gloriam parandam alios accendet, & 3. jucunda varietate ſua lectores delectabit.

Παθητικὸν iſtud adde: Marcellum laborum ſuorum & victoriarum præmia aut nulla aut tenuia in vita retuliſſe: æqvum igitur eſſe, ut poſt mortem ſaltem memoria præclare factorum ne intercidat.

ELABORATIO.

SÆpius quidem me ad te ſcribere conantem deterruit pudor quidam pene ſubruſticus, quo jam exuto, ea, quæ a te petere volui, expromam audacius, ratus, epiſtolam non erubeſcere. Jam diu enim eſt, quod incredibili ardeo cupidi-

tate, neque, ut ego arbitror, reprehenda, ut Marcelli patrui res, pace belloque gestæ, victuris literarum monumentis commendentur. Crevit autem isthoc meum desiderium tanto magis, quanto diligentius adhuc perlegi opuscula tua egregia, & haut proletaria eruditione referta, utpote e quibus omnibus summa ubique eloqventia relucet ac prudentia. Quæ sane ita me cepit totum incenditque, ut a nemine magis, quam quidem a te præclara patrui mei facinora scriptis illustrari cuperem & celebrari. Neque etiam diffiteor, ipsum Marcellum, dum viveret, quadam gloriæ ac immortalitatis cupidine ad res, præclare gerendas, fuisse inflammatum, talemque se præstitisse, ut mea sententia omnino dignus sit, qui & autoritate testimonii tui, & ingenii suavitate vel post obitum perfruatur, suumque adeo recte factis stet pretium, & tot tantæque, quibus excelluit, dotes posteris allegentur in exemplum. Parentibus natus est generosis, & nil vulgare præ se ferentibus, qui cum excitatam in puero indolem animadverterent:

ipsum

ipsum præstantibus tradiderunt præceptoribus, quorum sub disciplina ad virtutem adolesceret. Ea vero probe imbutus, præceptisque sapientiæ satis instructus, animum ad bellicas applicuit artes, omnesque militiæ gradus cum laude est emensus. Vix enim tyrocinium posuit, cum & fortitudinis & prudentiæ manifestissima indicia protulit, viamque ad majora sibi struxit. Siquidem in bello illo Germaniæ funestissimo, stipendia meruit, ac præliis plerisque interfuit ipse, Lutterensi quidem, ut miles cohortis prætoriæ, Lipsiensi ut Optio, Lutzensi ut Centurio, Witstochiensi ut Tribunus, denique Lipsiensi alteri ut Equitum magister. In quibus omnibus tam strenue fortiterque se gessit, ut summos duces æquaret, ipseque Germaniam, & Germania ipsum amplecteretur. Atque his rebus tantam sibi conciliavit apud universos gratiam, ut Elector Saxoniæ, illius consvetudine captus, eum Osnabrugum Legatum mitteret: ubi inter præcipuos Caduceatores eminuit, adeoque tam prudentem domi virum, quam foris strenuum militem se

ostendit

ostendit. Hæc & similia erunt, ut mihi persvadeo, materies digna facultate & copia tua. Ac cernere jam animo videor, quanto omnia uberiora futura sint atque ornatiora, si tua industria in hujus viri factis recensendis occupabitur. Quanquam non postulo, ut illa ornes vehementius, aut plusculum amori nostro largiare, quam vel veritas, vel historiæ leges permittant. Ea enim uteris animi libertate, ut vituperanda reprehendas, & quæ recte ab ipso facta, comprobes atque perpolias. Sane videris mihi operæ pretium facturus, si modicum quoddam corpus historiæ inde conficias, quippe quæ valde utilis esse possit per eadem vitæ vestigia ingressuris, ut in illa, tanquam in speculo, quid vel agendum, vel vitandum sit, perspiciant. Nullus enim dubito, quin tot egregiarum virtutum, eventorumque memorabilium commemoratio alios ad parem nominis gloriam parandam incensura, alios jucunda rerum varietate delectatura sit. Siquidem nil magis legentium afficit animos, quam cognoscere temporum varietates fortunæq;

vicissi-

vicissitudines. Ut enim præteriti doloris securа recordatio habet delectationem: ita animus jucundissima lectionis voluptate expletur, quando ancipites variosque rerum humanarum casus notabili exitu concluſos miratur, & attente considerat. Itaque etiam atque etiam te rogo, ut laudati patrui mei vitam, resque ab eo gestas describendas suscipias. Quod si feceris, eumque sempiternæ gloriæ commendaveris, in eo commendando non modo propriam ingenii gloriam consequeris, sed me quoq; cognatosq; omnes ad quævis officia vicissim tibi præstanda promtos semper paratosq; experieris.

VIII.

OCtava pẽtat commendatitias ad urbis magistratum, pro impetrando subsidio studiorum. Et principio quidem tuam erga eum, ad quem scribis, observantiam testare: Tum ipsius benignitatem in clientes, atque auctoritatem, qua apud Optimates pollet, extolle. Hinc expone desiderium tuum, & subde ista argumenta. I. e 1. Rhet. VI. 35. Τὰ δυνατὰ

δυνατὰ. Quæ fieri possunt. *Neque est, quod vereare, ne irrita sit tua commendatio, adeoque spe mea ego excidam.* Propositiones, quæ rem fieri posse probent, plurimæ recensentur lib. II. Rhet. cap. 19. e quibus adhibeatur primum ista, inciso tertio, εἰ τὸ ὅμοιον δυνατὸν. Si simile fieri potest. Oratio talis erit: *Si enim nuperrime Licinio haut difficulter in urbe munus publicum una tua intercessione obtinere potuisti, quare non eadem, qua polles, gratia & mihi, hoc beneficium ab iisdem Patronis queas impetrare?* Addatur & altera probatio ex inciso qvarto. Εἰ τὸ χαλεπώτερον δυνατὸν, καὶ τὸ ῥᾴον. Si difficilius fieri potest, etiam facilius: *Præsertim cum multo majoris negotii fuerit, inter tot competitores homini extero publicum ac perpetuum munus, quam mihi in civitate nato paucorum annorum beneficium impetrare.* Poterit & inciſum XI. commode huc aptari, hoc modo: *Et sane calles optime artem flectendi hominum animos, quam si & ad meam causſam convertere non defugeris, &c.*

II. Argumentum, e I. Rhet. VI, 38. καὶ ἃ μηδεὶς. Et quæ nemo. *Parcerem tuis occupationibus, si ullus præter te præsto mihi esset beneficii istius pararius. Nemo autem omnium est, qui vel prudentia vel auctoritate, vel benevolentia tantum valeat in Senatu: quare aut tu, aut nemo voti me mei fecerit compotem &c.*

III.

III. Argumentum, e 1. Rhet. VI. 29. Καὶ ἕνεκα πολλὰ πεποίηται, ἢ δεδαπάνηται. Et cujus causſa multi labores ſuſcepti, vel multi ſumtus facti ſunt. *Equidem ut ad aliquam maturitatem ſtudia mea perduterem, non tantum ſumma animi contentione adhuc allaboravi, ſed & quicquid patrimonii relictum erat, iisdem omne impendi; nondum tamen eousque provectus, ut mihi ſatisfaciam, aut publico me committere audeam. Quod ſi curſus mei, ut antehac fautor, ita nunc etiam adjutor exiſtere voles, peragam, quod cœpi, & metam mihi propoſitam, cum Deo, haut multo poſt contingam.*

IV. Argumentum e 1. Rhet. IX, 16. Καὶ τὰ ἀπ' ἀρετῆς γιγνόμενα. Quæ a virtute proficiſcuntur, ſunt honeſta. *Effice, quæſo, ut benignitatis tuæ, qua dudum multos & me quoque ipſum inſigniter juviſti, novum hunc ego fructum percipiam.*

V. Argumentum e 1. Rhet. IX, 23. Καὶ ὅσα ἔργα τῶν ἄλλων ἕνεκα. Et quæcunque opera aliorum ſunt cauſſa. *Qui aliorum commodis promovendis totus natus, totus intentus es, utere, quæſo, ingenio tuo, tuaque illa laudabili conſuetudine, & ad has ſuppetias mihi ferendas animum operamque converte.*

Denique moratam orationem e 1. Rhet. IX, 27. effinge hujusmodi: *Angor animi, cum quo æquales mei jam ſint progreſſi, contueor: horum ſane*

gloria

gloria meum animum perpetuis stimulis dies noctesque ita concitat, ut eodem omni conatu adspiremi Et vero enitar feliciter, si tua ope præsidium, quod ambio, fuero consecutus. Claudat epistolam grati animi pollicitatio.

ELABORATIO.

FAcit humanitas ista tua summa, & in clientibus fovendis benignitas, qua dudum multos, & me ipsum insigniter juvisti, ut auxilium tuum hisce literis in præsens implorare sustineam. Parcerem quidem occupationibus tuis, nec eas, quas & multas & gravissimas esse scio, interpellarem temere: nisi me eo adigeret dura rerum mearum necessitas. Scilicet alter jam annus est, ex quo in illustri hac Kilonienſi Academia studiorum causſa versor: sed nunc in medio illorum cursu deficio, dum sumptus necessarii mihi deficiunt. Ad te igitur confugio, obnixe rogitans, ut me in clientelam tuam recipias, & apud inclutum urbis nostræ Senatum pro me contendas, ut is quodam stipendio meæ subveniat egestati, ne cœptam studiorum telam cogar abrumpere

rumpere. Circumspicienti enim mihi de idoneo aliquo beneficii hujus parario, nemo occurrit præter te unicum. In tua ergo commendatione omnem meam spem inprimis sitam collocatamq; habeo, quæ me non fallet, modo tu speratum mihi non denegaveris patrocinium. Quod si enim nuperrime Licinius in urbe nostra munus, idque publicum tua unius autoritate haut difficulter obtinuit; quare non eadem stipendium aliquod, continuandis studiis meis suffecturum, ab iisdem Patronis in aliquot annos impetrare mihi valeas? Nam præterquam quod optime calles artem flectendi hominum animos, prudentia quoque & autoritate tantum vales in Senatu, ut quicquid tu petis, quicquid desideras, is firmum semper ratumque habeat. Quare nunc etiam utere ingenio tuo tuaque illa prudentia, quam aliorum commodis procurandis soles impendere, & ad opem mihi inopi exhaustoque ferendam animum operamque converte. Hoc peto, hoc opto atq; desidero unice. Hujus voti mei si me feceris compotem, summis elaborabo viribus, ut quam mihi pro-

posui metam, eam secundante DEO, feliciter contingam, studiaque mea eo tandem perducam, ut ex iisdem aliquando ad te patriamque, cui natus sum, fructus non pœnitendus redeat. Id quod me certissime consecuturum spero, si ope tua vitæ studiorumque subsidia, quibus carere non possum, consecutus fuero.

IX.

NOna Consuli commendet adolescentem, subsidio studiorum indigentem. Argumenta δεικτικὰ erunt:

1. Dignum Magistratu & cumprimis laudabile est, studia Ecclesiæ & Reip. necessaria promovere.

2. In promtu vobis est, unde beneficium illi, qui petit, tribuatur.

3. Ingens commodum ad remp. perveniet, si bonus & discendi cupidus adolescens adjuvabitur.

4. Majorum exemplis liquet, Magistratum hac re & sibi gloriam, & reip. præsidium decusque olim conciliasse.

Ad ἠθικὸν pertinet 1. verecunde & modeste alloqui Magistratum.

2. Lau-

2. Laudare eundem, sed ita, ne qua adulatio pelluceat.

3. Causas afferre hujus commendationis, ne imprudenter quidquam moliri videaris.

Affectus misericordiæ ciebitur, si ostendas,

1. Eum, quem commendas, tristi casu omnibus suis fortunis nuper eversum esse. 2. Rhet. IIX, 25.

2. Animum tamen gerere invictum, & ad virtutis ac doctrinæ culmen enitentem, Ibid. 22.

Spei affectus movebitur, si beneficium optime iri collocatum, & hunc, quem commendas, utilem gratumque patriæ civem aliquando futurum, pollicearis.

Ordo scriptionis ita instituatur, ut moratæ orationis pars aliqua præcedat, sequantur argumenta δεικτικὰ, affectuum commotio & moratæ orationis reliquum loco ultimo statuatur.

Exempla plurima suppeditabit Ciceronis ad familiares, secundum veterem distinctionem, tertiusdecimus liber, cujus epistolæ prope universæ sunt commendatitiæ.

ELABORATIO.

Cum sciam, te pro tua erga omnes benignitate, pauperes, inprimis literarum-

rarum cultores, in quibus spes est, fovere ac patrocinio complecti: tibi minime molestum fore arbitror, si hunc præstanti ingenio adolescentem tibi commendem, petamque, ut ei de aliquo studiorum subsidio, quo nunc maxime indiget, prospicias. Nec dubito, quin ab incluto vestro Senatu necessarios ad studia sumtus commendatione atque autoritate tua sit impetraturus. Neque enim laudabilius quicquam aut Christiano Magistratu dignius est, quam miserorum succurrere inopiæ, eaque impertiri, quæ vel leniendæ ipsorum fortunæ, vel Ecclesiæ comodo reique publicæ inserviunt. Nihil etiam habet, nec natura vestra melius, quam ut velitis, nec fortuna majus, quam ut possitis liberalia fovere ac provehere ingenia, quæ magno olim usui atque ornamento reipublicæ futura sunt. Quod cum optime majores vestri intelligerent, nulla re neque majorem sibi gloriam, neque firmius reipublicæ præsidium conciliarunt, quam quod bonorum discendique cupidorum adolescentum studia liberalitate sua incenderint. Tanto autem validiores meas

apud

apud te preces fore confido, quanto acerbior sors est adolescentis, auxilium tuum implorantis, quippe cui omnibus fortunis per triste incendium nuper amissis nullum amplius, nisi in tua Senatusque liberalitate restat perfugium; quod ut amice mecum petit, ita certissime sibi promittit. Neque enim rebus adversis despondit animum, sed illum etiam nunc gerit invictum, in artesque bonas pronum, & ad virtutis doctrinæque culmen enitentem. Oro itaque te, ut afflictis ipsius rebus provideas, honestosque conatus, quantum potes, adjuves, & pro ea, qua polles, autoritate apud Senatum, efficias, ut studia, quæ Dei honori patriæque commodis destinat, munificentia publica sublevantur. Quod beneficium sicut longe maximum nobisque gratissimum erit: ita sancte tibi polliceor, utrumque hoc nomine tibi tuisque te devincturum, ac gratum semper memoremque cogniturum.

X.

DEcima propinquum suum, in Academiam proficiscentem, commendet amico,

eo, civi Academiæ. Argumenta δεικτικὰ, ἠθικὰ, & παθητικὰ petantur partim a personis, partim ab ipsa re. Persona commendantis præbet argumenta hujusmodi.

1. *Eo sum ingenio, ut opem meam lubens præstem omnibus, cumprimis vero debeam huic meo consobrino, cui & jure sanguinis, & ob parentis ipsius in me haut vulgaria beneficia magnopere sum obstrictus &c.*

2. *Paratus sum tibi invicem, ubi potero, commodare &c.*

A persona ejus, qui commendatur, ita licet argumentari.

I. Est genere honesto natus.

II. Necessarius meus & propinquus.

III. Pollet ingenio, virtute, ardore discendi.

IV. Destitutus illic erit fidis amicis, quibus tamen carere nequit.

V. Gratum animum ipso opere declarabit.

A persona ejus, cui commendamus I. *Comitas tua & benevolentia erga pristinos commilitones mihi ipsique dudum innotuit.*

II. *Amicitia nostra, integre adhuc culta, requirit, ut & hoc mihi gratificeris.*

III. *Es ea auctoritate ac doctrina, ut multum prodesse huic homini possis.*

Ex

Ex ipsa re petita argumenta erunt, si demonstres, officium ita præstitum, fore honestum, facile, jucundum, utile &c.

Præter Tullianas, præcedenti dispositione allegatas, imitari poteritis lib. 1. ep. 3. (I, 13.) qua Cicero Trebonium Lentulo, & lib. 11, 6. (III, 12.) qua Milonem Curioni, & lib. 11, 14. (V, 9.) qua Fabium Cœlio commendat.

ELABORATIO.

Cum studiorum caussa ad vestram Academiam propinquus meus proficisceretur, has ad te literas dare, eundemque de meliore tibi commendare volui. Nam etsi eo sum ingenio, ut omnibus ingenuis probisque adolescentibus opem meam libens præstem: eam tamen præcipue huic meo consobrino nunc debeo, cui & jure sanguinis, & propter parentis ipsius in me haut vulgaria beneficia magnopere sum obstrictus. Præterea mirifice eum diligo, cum propter summum, quo pollet, ingenium, & virtutis doctrinæque, quo flagrat, studium, tum propter singularem, quæ juvenes decet, modestiam. Insuper miro quodam tene-

tur doctissima tua consuetudine fruendi desiderio, præsertim cum sit peregrinus, nullisq; munitus amicitiis, quibus tamen in hac vita literarum studiosis, inprimis peregre viventibus, omnino est opus. Itaque spem mihi facit singularis tua humanitas, fore, ut, quam aliis commilitonibus jam pridem præstitisti benevolentiam, eandem nec huic, quem tibi commendo, propinquo meo sis denegaturus. Confidit is quoque, propter tuum in me amorem, nostramque necessitudinem, his meis literis se apud te gratiosum fore, quæ ne spes eum fallat, vehementer te rogo, ejusque tibi studia, quam possum diligentissime commendo, quæ tu sane pro ea, qua polles, autoritate & eruditione, juvare ac provehere potes plurimum. Neque enim difficile tibi graveque fuerit, opem tuam requirenti gratificari in re honesta ac laudabili, eumque consilio pariter doctrinaque tua eximia utiliter instruere; quippe qua plurimis ita adhuc profuisti, ut nemo te unquam accesserit, quin melior doctiorque a te discesserit. Id si feceris, tuoque eum favore dignum judica-

veris

veris, & in amicitiam interiorem admiseris, gratum ac memorem tanti beneficii experieris. Vere enim tibi affirmare possum, te majoris fidei, constantiæ, benevolentiæ ac observantiæ erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem.

XI.

UNdecima eundem commendet Professori, similibus argumentis, quália præcedens exhibet dispositio. Ceterum quod a persona & commendantis, & ejus, cui commendatur, est petitum, hoc loco ita erit temperandum, ne quid contra decorum committatur, sed utriusque personæ, id, quod scribitur, sit conveniens: aliter enim ad amicum, aliter ad Præceptorem, oportet ut scribat adolescens; ad illum quidem familiarius, ad hunc reverentius.

Adhiberi possunt Ciceronis lib. XI. ep. 16. & 17. (XII, 22. & 23.) & lib. XI. ep. 22. (XIV, 11.) quarum istis L. Lamiam, hac Appium Claudium D. Bruto Imp. commendat.

ELABORATIO.

ETsi scio, te libenter favere omnibus, in quibus speciem duntaxat umbram-

que virtutis deprehendis: tamen, ut hunc imprimis juvenem vel humanitatis tuæ vel mea causſa complectaris, vehementer te rogo. Valde enim diligo hominem, cum propter excellentes ingenii dotes, moresque ſuaviſſimos, tum propter ſummam ejus probitatem induſtriamque ſingularem, quam in melioribus mihi literis adhuc probavit. Per totum namque triennium, quo nobiſcum eſt verſatus, tam pium, tam diligentem tamque modeſtum ſe præbuit, ut omnes illius conſvetudine caperentur. Quare dignus mihi videtur, quem tibi, Vir clariſſime, in præſens de meliore commendem, majoremque in modum abs te petam, ut liberum ipſi ad te aditum concedas, &, quibuscunque rebus honeſte potes (potes autem quam plurimis) velis ei gratificari. Non equidem ignoro, tibi ab occupationibus nunquam fere vacuo moleſtos ſæpe eſſe, qui intempeſtive te adeunt; ſed præcepi ipſi, ut ſcite & commode tempus ad te capiat adeundi, nec te perturbet temere, nec impediat. Quod ut eum ſolicite facturum confido: ita non dubito, quin nobi-

liſſimum

lissimum hunc adolescentem, summo loco natum, summo ingenio, summa virtute, officiosissimum præterea & gratissimum, in numerum tuorum ultro libenterque sis recepturus, eique in omnibus consilio ac opera tua præsto semper futurus. Quod si feceris, magno me pariter ipsumque beneficio magnoque merito in perpetuum tibi obligabis.

XII.

Duodecima Senatori commendet L Valerium, publici muneris jam vacui petitorem, rogetque, ut suffragatione sua eum adjuvet.

Ordo talis esto: Primum laudatione hominis, quem commendat, viri amorem illi conciliare annitatur e 1. Rhet. IX. & II. Rhet. IV.

Deinde exponat petitionem ipsam & subjiciat rationes, quod æqua, honesta, necessaria, factu facilis sit.

Tum conceptam animi fiduciam exponat, & tandem utriusque gratum animum spondeat.

Facient huc Ciceronis epistolæ, paulo ante cita-

citatæ, quibus adde, si lubet, lib. IX, 13. (X, 34., qua Suberinum aliosque Dolabellæ, & XIII, 76. (XVI, 27.) qua C. Valgium Hippianum Decurionibus, & XIII, 36. (X, 24.) qua Demetrium Megam Acilio Proconſ. Cicero commendat.

ELABORATIO.

SIngularis ille tuus erga me amor, quem plurimis in rebus adhuc perſpexi, facit mihi fiduciam, ut & aliis ad tuam benevolentiam ſuſtineam munire aditum. Cum enim, qui has tibi literas affert, Sempronius munus ſacerdotii, quod nunc apud vos vacare audivit, ambiat, teque potiſſimum illius conſequendi pararium elegerit, eum ſic tibi commendo, ut majore cura, ſtudio ac ſolicitudine animi commendare non poſſim. Eſt is juvenis ſane optimus, multisque egregiis ornatus animi dotibus, ac per plures jam annos in hac Academia verſatus, in eaque præter linguarum ſtudium, ad literas tam Philoſophicas, quam Theologicas gnaviter incubuit, ſæpiusque conciones ad populum publice non ſine applauſu habuit,

habuit, nec quicquam prætermiſit, quod quidem ſpectare ad ornandum Sacerdotis gradum putavit. Ad mores ipſius vitæque rationem quod attinet, pium, probum ac modeſtum ubique ſe geſſit, adeo, ut bonorum omnium favorem ſibi facile conciliaret. Non enim illorum probavit temeritatem, qui illotis, ut ajunt, manibus, profanisque animis in ſanctiſſima myſteria ſeſe inferunt, ac, priusquam digni ſint, qui ad res ſacras accedant, ſacrarium ipſum ambiunt; quique Theologiam rem tam levem ac protritam exiſtimant, ut vel ſola voluntas ad eandem ſufficiat. Unde nullus dubito, quin ſi tua ope, quod ſpero, deſideratum impetraverit munus, illo ita ſit defuncturus, uti & expectationi tuæ, & conſcientiæ ſuæ ſatisfaciat, ac vita pariter doctrinaque auditoribus ſuis præluceat, eorumque ſempiternæ conſulat ſaluti. Quæ cum ita ſeſe habeant, abs te, Vir Ampliſſime, obſervantiſſime peto, ut cauſſam illius, tanqvam æquam & honeſtam, tuendam ſuſcipias, tuaque autoritate ac commendatione, quæ plurimum valet, apud in-

clutum

clutum Senatum vestrum efficias, ut ei, quod petit, muneri præficiatur. Quod si nostræ huic petitioni non deeris, putabo mihi ipsi collatum hoc beneficium, ipseque Sempronius in habenda referendaque tibi gratia mecum certabit. Vale.

XIII.

DEcima tertia commendationi annuat. Præcipua responsionis capita sunto, primum ἦθος, quod relucebit laudando commendatum, & testando cum erga hunc benevolentiam, tum de omnibus bonis bene merendi studium tuum.

Argumenta δειτικὰ in hanc rem deprome-re libeat ex uno cap. XXIII. libri secundi Rhetoricorum Aristotelis.

Primum ex inciso I. Ἐκ τῶν ἐναντίων, Ex contrariis. *Turpe foret, in re tam laudabili morem tibi non gerere &c.*

II. Ex inciso sexto. Ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα. Ex iis, quæ inter se conferuntur. *Cum L. Valerius dignissimus sit, qui munus illud accipiat, nos illud jure meritoque eidem conferemus.*

III. Ex commate XIVto. Ἐκ τοῦ ἧττον. A minori. *Aliis parum amicis in re majore sum gratificatus &c.*

IV.

IV. Ex inciso XX. Ἐκ τῦ τὸν χρόνον σκοπεῖν. Tempus intueri. *Ante hunc locum in rep. vacue factum, si opem meam imploraſſet, promiſiſſem, qui ergo nunc non tribuam?*

V. Ex inciso XLI. Εἰ πάντες. Si omnes. *Munere iſto nemo non illum cenſet eſſe dignum.*

VI. Ex inciso LI. Ἐκ τῦ ἀκολουθοῦντος. Ex eo, qvod conſeqvitur. *Nunquam deerunt civitati ſumtus, ſi ærarii cura huic demandabitur.*

VII. Ex inciso LXXV. Εἰ δυνατὸν, καὶ ῥάδιον, καὶ ὠφέλιμον. Si poſſibile, & facile, & utile eſt. *Ea eſt noſtra auctoritatis in Senatu mediocritas, is in hunc candidatum bonorum omnium affectus, ut hoc, quod petit, non magno negotio, a nobis effectum iri confidam &c. Erit autem ex uſu Reip. hunc virum a nobis cooptari, &c.*

VIII. Ex inciso XCII. Εἰ ἐνδέχετο βέλτιον. Num licuit melius. *Cum omnium, quotquot prenſant, candidatorum peritiam moresque expendo, nemo muneri iſti aptior videtur hoc noſtro L. Valerio.*

IX. Ex inciso XCIIX. Ἀπὸ τῦ ὀνόματος. Ex nomine. *L. Valerius nomen ſuum ipſa re comprobabit: ornamenta enim ejus tum demum lucebunt, cum in conſpicuo erunt collocata: & ipſe, qvantum ſemper ingenio, tantum deinceps auctoritate etiam atque gratia valebit.*

Affectum ſpei excitat, promittere & ſibi & civitati multa bona e commendati promotione proventura.

Uti

Uti licebit Ciceronis ad Vatinium lib. V. ep. II. (XI, 27.) & ad Cassium XV, 14. (V, 8.) quorum ille Pompejum, uxorem suam, hic M. Fabium Tullio commendaverat.

ELABORATIO.

CUm de bonis omnibus bene mereri semper studeam; tum inprimis curam gerere certum est tui, quem mihi commendasti, Sempronii, daboque operam, ut is pari me erga se studio ac voluntate eadem cognoscat. Valde enim diligo hominem non solum, quod a Te diligitur; sed etiam quod in ipso eruditionem ac probitatem, cæterasque ingenii dotes, a te laudatas, atque adeo plures etiam tuaque commendatione majores in eo perspicare mihi sum visus. Faciam ergo studiose, quæ rogasti, partim ut tibi gratificer, amicitiamque, mutuis inter nos adhuc officiis cultam, quoad ejus fieri potest, augeam atque confirmem, partim ut Sempronium quoque beneficio hoc mihi amicum conciliem, rebusque meis adjungam, atq; is utriq; nostrum gratias hoc nomine agat maximas. Quo enim justius

stius hoc vestrum æquiusque est petitum: eo turpius foret, in re tam honesta tamque laudabili meum ipsi denegare suffragium; præsertim cum sæpe jam aliis, mihi non adeo commendatis, in re vel simili vel etiam majori sim gratificatus. Et sane opemmeam ipsi præstitissem lubens; si prius, quam locus hic in Ecclesia vacare cœpit, eandem imploraſſet; cur ergo præsentem hanc opportunamque ipsum juvandi occasionem prætermitterem. Itaque simulac tuas perlegi literas, statim Sempronium tuum, vel potius nostrum, universo commendavi Senatui, & quidem ita, ut majore studio ac diligentia eum commendare haut potuerim. Neque de benevola illius voluntate speratoque successu amplius dubito, postquam concio, quam ad populum habuit, tanto omnium cum applausu excepta est, ut communi suffragio dignum judicarint, cui sacrum hoc munus conferretur. Sunt quidem & alii multi, qui idem ambiunt officium: verum plerisque eruditionem illorum moresque æstimantibus, nemo videtur Sempronio anteponendus, ut qui bonorum o-

mnium favore, ſpeque adeo haut vanæ nitatur. Quæ ne eum fallat, ego omni cura ac ſolicitudine animi providebo, faciamque, ut quem dudum meruit, tandem ferat laborum vigiliarumque fructum. Siquidem tum demum inſignes animi ejus dotes, quibus inſtructus eſt, eluceſcent, cum in conſpicuo erunt collocatæ & ipſe, quantum ſemper ingenio, tantum deinceps doctrina, eloquentia, autoritate vitæque exemplo valebit.

XIV.

COmmendationi reſponſurus proponére quoque ſibi poterit partim ſuam, commendantis, commendatique perſonas, partim ipſam rem. Et ſe quidem dicet oppido lætari, facultatem tandem eſſe oblatam ei gratificandi. Nihil ſibi tam eſſe propoſitum, quam de amicis, de viris bonis, doctisque, aut qui ab his commendantur bene mereri.

Tum de commendantis in nos benevolentia atque officiis, de virtutibus, de modeſtia inprimis, qua ſit in petendo uſus, nonnulla addantur.

Sequatur elogium commendati.

Inde

Inderem ipsam ut honestam, justam, facilem, patriæ profuturam lubenter concedemus. Tandem rogabimus hominem, ut operam nostram sæpius reqvirat, nunquam frustra fore: Nos, cum opus fuerit, idem facere, idemque nobis spondere velle.

Argumenti hujus qvoqve sunt Ciceronis ad Papirium Pætum IX,24. (XIII,9.) & ad Plancum X,13. (XV,2.) ut & initium epistolæ vigesimæ, libri II. ad Atticum.

ELABORATIO.

Quem mihi commendasti, Sempronium libenter in amicitiam recepi meam, eique honorem in Republica nostra petenti nullo loco defui, sed quibuscunque potui rebus, ipsum adjuvi. Et sane multum me tibi debere fateor, quod de tali viro bene merendi, cum illoque amicitiam jungendi occasionem mihi dederis. Siquidem, ego nullum majorem puto quæstum, qvam amicis virisque bonis ac doctis, aut qui ab his commendantur, gratificari, illorumque adeo favorem ac benevolentiam mihi conciliare. Itaque cum ex tuis literis intellexerim, magnæ Tibi curæ

esse saltutem Sempronii, non potui non eidem quoque amicus esse, non solum ob tuam commendationem, quæ apud me, ut debet, valet plurimum: sed etiam voluntate ac judicio meo. Volo enim te scire, literas tuas, in quibus elegantia petendique modestia cum summo favore certant, initium mihi fuisse amoris amicitiæque, cum Sempronio contractæ. De quâ ut mihi valde gratulor: ita amicus iste tuus, quin & meus, tam prolixa apud me haut eget commendatione. Cum enim per se dignus ille sit, qui non ametur tantum ab omnibus probis & honestis viris, charusque habeatur, sed etiam quovis modo juvetur: tum inprimis æquum piumque est, ut is, qui ad mores optimos eruditionem adjunxit egregiam, digna virtute præmia ferat, quæ & ipsius spei respondeant, & tuendo sufficiant honori. Quem eo facilius & mea & incluti Senatus nostri suffragatione impetraturum confido, quo magis ipsum bonorum omnium studium jamjam conciliatum habere novi, ob excellentes animi dotes virtutesque plane singulares. De quibus ut summa omnia

sibi

sibi spondeant cives nostri: ita nec ego dubito, quin maximo reipublicæ nostræ commodo ornamentoque futurus, nihilque magis acturus & curaturus sit, quam ut salvam eam florentemque præstet, fideque pariter ac factis nostri de se judicii dignitatem sustineat. Quare tibi publico civitatis nostræ nomine maximas ago gratias, quod tua commendatione tanti viri nobis feceris copiam, teque rogo, ut, si quos hujus generis honestos multisque & magnis virtutibus ornatos nosti viros, eos mihi audacter commendes. Polliceor enim tibi, me vel tua caussa nullis ipsorum commodis desideriisque unquam defuturum.

XV.

DEcima quinta hominem commendatum in magistratus petitione adjuvare recuset.

Λογικὸν erit negationis suæ causas adferre. Primo quia opis suæ non sit hoc efficere, sibi enim jus suffragii nullum esse.

Secundo: Nec eam sibi esse auctoritatem, ut illos, penes quos Prætorem eligendi est po-

testas', ad hujus hominis amorem flectere possit.

Tertio. Hominem esse stupidum, intemperantem, desidem & ad provinciam, qvam ambit, ineptum.

Quarto eundem spem desideriumque potiundi videri abjecisse.

Quinto alterius cooptationem jam esse factam.

Moratæ orationis hic præcipua quædam erit necessitas, offensæ averruncundæ caussa. Rogabimus igitur

I. Ut liberum nostrum responsum ferat æqvo animo.

II. Nec per nos stare, qvo minus ille potiatur.

III. Voluntatem nostram, fidem, diligentiam abunde ipsi e præteritis officiis constare.

IV. Eadem inposterum qvoqve fore ipsi præsto.

V. Daturum operam, ne amicitiæ à tot annis fideliter cultæ, ex hac negatione quidquam detrahatur.

Plura talia quæ animum mitigent suppeditat lib. II. Rhet. Aristot. cap. III. Exemplum hujusmodi epistolæ habetis lib X, 2. (XII, 45.) qua Cicero excusat se Planco, quod, cum hujus caussa ageretur, non fuerit in senatu, inque ceteris officium ei suum pollicetur.

ELA-

ELABORATIO.

STudium meum Sempronio, a Te mihi commendato, pro necessitudine nostra, certe non defuisset: si modo honorem ipsius in Senatu aut satis honeste, aut cum successu tueri potuissem. Sed nec sine pudore qvisqvam commendet eum, cujus peccata sibi ruborem incussura metuat, nec meæ facultatis est, in etendo magistratu magnopere quenquam adjuvare, cum nullo suffragii jure gaudeam, nec ea sim autoritate, ut illos, penes qvos Prætorem eligendi est potestas, ad hujus hominis amorem flectere qveam. Nec enim desunt, qui illum ad istam, quam ambit, provinciam plane ineptum judicent, tam ob stuporem, quam intemperantiam atque desidiam: quorum forte vitiorum conscientia ipse motus, omnem spem desideriumque muneris hujus potiundi jam abjeciisse videtur. Nec ego video, quid inter tot tantosque viros, idem munus expetentes, eosque non minus eruditione, quam prudentia ac usu multo præstantiores illoque munere digniores opera mea

Sempronio profutura sit; præsertim cum in Senatu tantum non facta transacta sint omnia, alteriq; jam munus hoc promissum dicatur, nec fere dubitandum sit, quin is propediem illud publico Senatus decreto sit obtenturus. Quapropter quæ tua est humanitas, æquo feres animo repulsam, quam nulla mea culpa fert Sempronius, quamque forte non ferret, si res adhuc foret integra, aut in meis sita viribus. Nec de voluntate mea dubitabis, qui nosti, ut te semper dilexerim, utque nullum in te tuosque neque officium neque studium meum ulla in re adhuc desiderari passus sim. Neque inposterum, si quid erit, in quo vel salutis, vel dignitatis tuæ rationem habere me posse putabis, tibi unquam deero, sed operam dabo sedulo, ne amicitiæ nostræ, a tot annis tam fideliter cultæ, ex hac negatione quicquam detractum esse sentias. Vale.

XVI.

Decima sexta consultet, utrum studiorum caussa in Germania diutius manendum, an in Galliam & in Italiam sibi sit eundum? Dis-

Discessum suadere possunt hæc enthymemata:

I. *Ad finem studiorum mihi propositum, plurimum conferet, exterorum leges, instituta, mores coram cognoscere.*

II. *Qui limine paterno pedem non extulerunt, fere contemnuntur.*

III. *Præsto est optimorum commilitonum opportunus comitatus.*

IV. *Peregrinatione sapientiam sibi paraverunt Lycurgus, Solon, Pythagoras, Xenophanes, Colophonius, Democritus, Plato, alii.*

Mansionem suadent ista: I. *Omnia sunt in peregrinatione molestiarum, & periculorum plena, hac præsertim belli tempestate.*

II. *Magni sumtus requiruntur.*

III. *Multorum mores peregrinatione sunt corrupti.*

AEtas mea nondum est satis matura.

V. *Parentes ægre assentientur.*

Præmittatur laudatio benevolentiæ prudentiæq; ejus, ad quem scribis: curæ autem tuæ atque sollicitudinis, tum etiam grati animi declaratio, enthymematibus subjiciatur.

Ante scriptionem proderit relegere Ciceronis ad Atticum lib. IIX, 3. XI, 15. XIV, 13. epistolas, in quibus de bello, deque suo receptu consilia communicat & exquirit.

ELABORATIO.

Dlu multumque mecum deliberanti, utrum diutius in Germania subsistere, an vero, majoris cultus capessendi caussa, in Galliam Italiamque abire debeam, tu tandem occurristi, Vir nobilissime, cujus potissimum in re dubia rogarem consilium. Quod ut eo melius mihi possis suggerere, quæ me dubium ancipitemque reddant caussæ, exponam brevibus. Ac profectionem quidem in exteras regiones ut suscipiam, & rationes me movent & exempla. Inter illas præcipua est, quod videam, neminem sine peregrinatione veram solidamque prudentiam civilem sibi comparasse. Unde nil æque ad finem studiorum mihi propositum conducere arbitror, quam exterorum leges, instituta moresque coram cognoscere. Qui enim testudinum instar perpetuo domi hærent, nec limine paterno pedem efferunt, illi, etsi e libris forte sapiunt, plerumq; tamē vel obmutescunt, vel contemptui ac deridiculo sunt viris prudentibus, multarumque rerum ac linguarum usu peritis, quando coram illis

lis de peregrinarum gentium ingeniis, ritibus, commerciis, reditibus, potentia ac robore, vel belli pacisque negotiis confabulari incipiunt. Quæ causſa fuit, cur priſci ſapientes, Lycurgus, Solon, Pythagoras, Xenophanes Colophonius, Democritus, Plato, Ariſtoteles & alii ad exteros commearent, ut nempe mores, inſtituta legesq; populorum luſtrando ſibi pararent prudentiam, cum plurima ſint, quæ non ſcire, ſed vidiſſe expediat. Ulyſſes ſane ideo ab Homero appellatur ſapiens, quod multorum mores hominum urbesque multas viderit. His accedit commilitonum optimorum comitatus, qui, ut mentem ſuam utiliſſimarum rerum cognitione ornatiorem politioremque reddant, propediem iter ſuſceperi ſunt, quæ quidem opportuna, nec ſemper obvia occaſio ut me ad iter ingrediendum ultro invitat: ita ex adverſo multa occurrunt, quæ ab eodem me poſſint retrahere. Ut enim nil dicam de immenſis ſumptibus, quos peregrinatio exigit; periculorum plena ſunt omnia, hac præſertim belli

tempe-

tempestate ; qua universa commovetur Europa, & ubi itinera ac viæ aut sunt insessæ armis, aut latrociniis infestæ. Adhæc metuo, ne & ætas mea impar sit perferendis itinerum molestiis, & immaturum judicium ad eludendas captiosorum hominum insidias. Insuper multorum hodie peregrinantium exemplis non parum terreor, qui plerumque deteriores, quam meliores domum redire solent, dum præter linguam, vestitum, gestus moresque aut nihil aut vitia secum afferunt. Quandoquidem scapulas contrahendo attollere, pronis cervicibus amicos salutare, ad numerum ire, salire, garrire, illorum fere artes ac specimina sunt. Quas difficultates etsi divina ope me superaturum sperem: tamen de parentum consensu subdubito, quem nisi impetravero: citra impietatis crimen vix licebit tantis me implicare casibus, ac incertæ sapientiæ mercem certo periculo emere. Ego igitur, dum, quid mihi faciendum sit, ignoro: ad te, tanquam ad oraculum quoddam, confugio, teque magnopere rogo, ut hanc meam deliberationem,

qua

qua valde solicitor, suscipias, hæsitantique tuum des consilium. Quod si feceris, summo me obstringes beneficio, cujus memoriam nulla unquam delebit oblivio.

XVII.

DEcima septima præcedenti respondens peregrinationem suadeat, & rationes isthic jam allatas firmet dilatetque; tum & novas addat, obvias inventu e lib. I. Rhet. cap. VII.

Ad primum argumentum oppositum respondeatur, *molestiam nemini non, qui rem præclaram moliatur, esse subeundam: periculum precibus & consilio averti.*

Ad secundum: *Neeessarios sumtus haut defore: supervacuos antiqua frugalitate esse cohibendos.*

Ad tertium: *Qui peregrinatione corrupti sunt, te, ut rectius agas, errore suo, doceant, atque interim ceterorum, qui peregrinando meliores doctioresque redditi sunt, laudabilia exempla tibi propone.*

Ad quartum: *Multi natu te minores cum fructu sunt peregrinati. disce igitur & tu ultra ætatem sapere.*

Ad quintum: *Parentum tuorum assensionem, ego, si potero, tibi conciliabo.*

ELA-

ELABORATIO.

PLacet mihi tuum peregrinandi consilium: si non tam voluptatis, quam eruditionis prudentiæque cupiditate id suscipias, ac pio consideratoque animo utile hoc viroque in vita aliqvando versaturo dignum propositum aggrediaris. Non enim curiositatis explendæ, sed doctrinæ, virtutis, prudentiæque parandæ caussa omnis instituenda peregrinatio est. Nam qui vagantium in morem huc illuc cursitant, & tecta tantum ac parietes spectant, hominesq; potius intuentur, quam ingenia illorum moresque ac instituta æstimant; illi prorsus ineptiunt, & tempore sumptibusque perditis, vel inanes domum redeunt, vel deteriores, quam pedem limine paterno extulerunt. Ab horum vero perverso more cum te alienum esse, ac ideo duntaxat peregrinas oras visere velle videam, ut moribus æqve ac literis proficias, & rerumpublicarum interiora, populorum instituta & leges, Ecclesiæ item statum, & ritus ceremonias-

niasque varias paulo penitius cognoscas; non possum non probare tuum, quo teneris, peregrinandi desiderium, illudque cohortatione mea magis inflammare. Neque enim est, ut ab itinere hoc sive molestiæ sive pericula te avocent. Quandoquidem illæ omnibus, res præclaras molientibus, devorandæ sunt; hæc vero, si quæ forte obveniunt, consilio ac precibus facile queunt averti. Neque necessarii sumptus te deficient, si modo eos temperaveris, & pro consveta tua frugalitate parcius erogaveris. De nonnullorum vero moribus peregrinatione corruptis quod scribis, tantum abest, ut illi te a proposito exteras regiones lustrandi retrahere debeant, ut potius errore suo tibi monitores sint, quo rectius agas & circumspectius; cæteri vero, qui meliores doctioresque peregre reversi sunt, laudabili suo exemplo ad eosdem sane fructus ex itinere percipiendos invitent. Quos cum multi te natu minores domum reportaverint: quid, quæso, impediat, quo minus & tu illos referas?

Si qui-

Si quidem cum ipsis ultra ætatem discas sapere, & mente provida pietateque in Deum munita peregrineris, & diligenter ubique observes ac consideres, quæ religio sacrorumque cultus in quavis republica obtineat, quæ artes ac scientiæ, quique viri eruditionis laude ibi floreant, quæ regnorum imperiorumque vires sint ac robur, quibus innitantur consiliis, quibus legibus firmentur, quos adjutores ac ministros habeant, quæ denique fœdera, commercia, & pacis bellique negotia in singulis regionibus vigeant. Quæ omnia ut te attente consideraturum, nec in commentarios tantum relaturum, sed in animum quoque demissurum confido: ita de Parentum tuorum assensu securum te esse jubeo, quippe quem precibus meis haut difficulter tibi impetrabo, ut qui salutis tuæ sim cupidissimus, nihilque magis optem, quam ut tibi aliquando salvo ac sospiti redeunti de feliciter peracto itinere, deque præclaris inde perceptis fructibus prolixe gratulari, lætumque ac benevolum animum re ipsa testari queam.

XVIII. De-

XVIII.

Decima octava manſionem ſvadeat, explicatius tractatis qvinqve illis argumentis, quæ in hanc ſententiam præcedens decima ſexta diſpoſitio jam exhibuit, quibus ſi addere plura lubet, ſuggerent ſingulos ſyllogiſmos iſtæ προτάσεις.

I. Τὸ ἧττον προσδεόμενον ἑτέρων. Minus indigens aliis 1. Rhet. VII, 15. *Qui domi ſe in literas ſuas abdunt, non egent vel nautæ obſequium precio emere, vel conflictari cum avaritia aurigæ ac cauponis, vel exſpectare idoneam tempeſtatem, vel contra itinerum pericula armis ſe atque ſtipatoribus munire: degunt in tuto, parvo atque parabili contenti &c.*

II. Καὶ ὃ οἱ πλείους. Qvod plures eligunt. 1. Rhet. VII, 45. *Et vero cum reip. noſtræ præſides, qui vel fuerunt unqvam vel hodie ſunt, cogitas, multo maximam illorum partem terras alio ſole calentes nunquam vidiſſe; nec minus tamen præclare rem geſſiſſe, deprehendes.*

III. Καὶ ὃ οἱ ἀμφισβητοῦντες. Et qvod controverſantes tandem fatentur. 1. Rhet. VII, 46. *Ecquid ergo tu præcipui ultra Alpes habes indagare? cum hiqui illuc excurrerunt, magno ſumptuum diſpendio ſe parum profeciſſe, multi vero, qui totum vitæ ſpacium in Germania conſumſerunt, nihil ad beate vivendum & remp. recte adminiſtrandam defuiſſe, ultro tandem fateantur.*

IV. Καὶ τὰ πρὸς ἀλήθειαν. Quæ ad rei veritatem spectant, anteponenda sunt iis, quæ ad hominum opinionem. 1. Rhet. VII, 60. *Ingenium animumque virtute ac liberali doctrina excoluisse, patriæ atque civium amori in patria ipsa (alibi enim id commode fieri nequit) esse innutritum, solida laus est, ob quam in sinu merito gaudere possis; At cum magna famæ exspectatione foris quærere, quod domi abunde suppetit, & externo sermone cultuque civium oculos in te convertere, non patriæ usui, sed vanis hominum judiciis & popularis auræ defertur.*

Argumenta pro peregrinatione adducta hoc modo eleventur. Primum: *Exterorum leges, instituta atque mores commodius & certius domi ex auctorum monumentis addisces.*

II. *Contemnendus est iste contemtus &c.*

III. *Habes etiam domi præstantis commilitii opportunitatem.*

IV. *Lycurgus aliique maxima ætate & divinarum humanarumque rerum scientiam jam docti peregrinationes suas instituerunt, quorum neutrum adhuc es consecutus.*

Liberæ orationis veniam petere: eandemque a benevolo animo profectam esse sancte affirmare, tum & studium deferre suum, amabiles scribentis mores arguet.

ELA-

ELABORATIO.

ETsi multas ac graves in utramq; partem attulisti rationes: tamen illæ, quæ mansionem suadent, multo mihi videntur validiores, cum incommoda plerumque, quam commoda, ex peregrinatione resultent majora. Cum maximo namque & sumtuum impendio, & temporis valetudinisque jactura, & corruptela morum, quin & salutis sempiternæ periculo sæpius illa suscipitur. Quot enim, quæso, Germani in Gallicas Italicasque oras profecti animum ibi perdidere & animam? Quot pietatem in Gallias intulere, qui impietatem inde retulere? Quot morum gravitatem & sanctitatem iis regionibus importarunt, qui levitatem animi, petulantiam, mollitiem, luxum & cauteriatam conscientiam reportarunt. Ut adeo Professor quidam Lugdunensis, Bontius, verissime qvondam dixerit: multi relinqvunt Italiam, sed Italia ipsos non relinquit. Sane veterem illam ac masculam Majorum nostrorum virtutem dudum perdidimus,

ejusque loco externum fastum, simulationem, perfidiam & religionem, & omnia denique turpitudinis ac flagitiorum genera domum reportavimus. Ut nihil jam dicam de periculis ac molestiis, quibus peregrinantes sunt expositi. Quoties enim iis vel nautæ obsequium precemendum & pretio, vel cum aurigarum cauponumque conflictandam avaritiæ, vel cum ventis ac tempestatibus luctandum, vel contra itinerum pericula armorum stipatorumque præsidio utendum: quæ incommoda ac difficultates aliæ haut premunt eos, qui domi se in literas suas abdunt, quippe qui in tuto degunt, sorte sua contenti. Nec est, quod vel delicias, vel eruditionem ac prudentiam ultra Alpes quæras, ut aliquam famæ opinionem tibi concilies; cum domi, quæ & delectent & prosint, multo commodius minorique cum sumtu sint parabilia. Sane si reipublicæ nostræ proceres, qui ad illius clavum vel sederunt olim, vel hodie etiam sedent, consideres, plerosque eorum, et si terras, alieno sole calentes, nunquam viderint; rem tamen nihilominus præclare

clare laudabiliterque gessisse deprehendes. Talesque & alibi passim invenire est in Germania, quibus, licet omnem suam ætatem in solo patrio contriverint, nil tamen ad beate vivendum rectèque administrandam rempubl. defuisse, ultro fateberis. Nec minori laudi ducitur, si virtute ac liberali doctrina domi probe excultus, patriæque ac civium amori quasi innutritus fueris; quam si foris anxie quæsiveris, non quæ patriæ usui, sed inani gloriolæ ac populari auræ captandæ inserviunt. Quid? quod exterorum leges, instituta moresque commodius multo ac certius domi ex mutis magistris, hoc est libris, monumentisque optimis, quam ex vagis incertusque exterorum hominum narratiunculis addisces, præsertim cum præstantissimorum commilitonum fruaris consortio, quorum usu consuetudineque liberali proficere datur in dies teque ipsum ad omnes vitæ partes ac officia formare: contemtus vero ille, quem metuis, generoso contemtu vindicandus est: nec tam quid plurimi, quam quid rectè sentientes approbent, videndum.

Esto autem, quod Lycurgus, Solon, Pythagoras aliique cum fructu peregrinati sint. Matura id ætate fecerunt & maturo judicio, quod cum in homines juvenes utrumque non cadat, peregrinationem in Galliam Italiamque hoc tempore suscipiendam omnino dissvadeo, adductus autoritate & Platonis & Lipsii, quorum ille peregrinationes aut penitus sublatas voluit, aut necessitate tantũ susceptas, nec nisi senioribus concedendas: hic vero juvenilem peregrinationem longæ navigationi sine meta, sine portu non ab re comparat: jactantur, inquiens, in navi, circumaguntur variis ventis, & qvum ad terram, & ad seipsos flectunt oculos: vident non multum se, sed diu navigasse. Itaque hæc perpende apud animum, & quod utilissimum tutissimumque videbitur, sequere, mihique liberius svadenti, porrõ fave, commodi salutisque tuæ studiosissimo.

XIX.

UNdevigesima hortetur juvenem, ut tempus in Academia bene collocet, nec otio aut luxu transmittat. Pri-

Primum enthymema e 1 Rhet. VI, 1. Πρόκειται τῷ συμβουλεύοντι σκοπὸς. Propositus est deliberanti scopus. Unde hujusmodi confit enthymema. *Scopus tibi propositus is est, ut virtute & literis cultus ad tuos redeas, & patriæ aliquando prodesse possis.*

Ergo hoc tibi jam agendum est, & tanto quidem enixius, quanto ista obtinere est difficilius.

Secundum e 1. Rhet. VI, 24. *Tempus in Academia otio & luxu prodigere turpissimum est. Gignit enim contemtum, paupertatem, seram pœnitentiam, & omnino malum ejusmodi, quod corrigi nequit*, 1. Rhet. XIV, 6.

III. E 1. Rhet. VI, 29. *Multi sumtus in studia tua facti jam sunt, & fiunt hodieque: cave ergo ne pereant.*

IV. E 1. Rhet. VI, 42. Καὶ ἃ χαρίζονται τοῖς φίλοις. Quæ grata facient amicis. *Ecquid propinquis & amicis nostris gratius facere potes, quam si optimis & moribus & literis ornatus revertaris, &c.*

V. E 1. Rhet. VI, 26. Καὶ ἃ οἱ ἐχθροὶ βάλονται ἢ ἐφ' ᾧ χαίρουσι, τοὐναντίον τούτῳ ὠφέλιμον φαίνεται. Contrariorum huic, quod inimici volunt, vel quo gaudent, utile appareret. *Inimici autem nostri, quorum non exiguus*

est numerus, in sinu gaudebunt, si quo destinatus es, culpa tua pertingere non poteris &c.

Intertexatur exemplum fictum (11. Rhet. xx, 4.) sive apologus, de formica, quæ cicadæ stipem hyeme petenti respondit, si æstate cum grana ego colligerem, tu cecinisti, hyeme salta. Adite & Phædri fabellam Lxxx. quæ est de formica & musca.

Prudentia scribentis ostenditur, si diligenter ille & graviter juvenem futuri admoneat. Benevolentiæ testandæ seruit integrum caput IV, lib. 11, Rhet.

Affectus æmulationis quomodo possit oratione excitari, docet Aristoteles noster lib. 11. Rhet. cap. XI. *Majores tui doctrina & virtute illustres atque in urbe honorati semper fuerunt, e quorum præclaris exemplis te desciscere turpe fuerit.* Commate IX.

Tu vero sive ingenium sive opes tuas spectes, te ipsum merito dignum censes paribus honorum gradibus: quos cum citra temperantiam & laborem consequi plane nequeas, facile intelligis, quid tui sit officii &c. E vers. v.

Quam latum bene de aliis merendi campum habent, qui labore, vigilantia & modesto vitæ cultu eruditionem ac virtutem, & per has summum in civitate dignitatis gradum fuerunt consecuti! Ex inciso XX.

Cice-

Ciceronis ad Trebatium lib. VII, 9. (11, 10.) & ad Q. fratrem lib. 1, 1. epistolarum lectionem cum hac scriptione utiliter conjungetis.

ELABORATIO.

CUm diu sit, ex quo nihil a te accepi literarum, nec sciam, quid agas, aut quænam potissimum studia tractes: has ad te dare, teque ad artes ac scientias toto animo excolendas amice hortari volui; non, quod de industria tua, quam alioquin abunde nobis approbasti, dubitem; sed quod te amem ex animo, deque salute tua vehementer sim solicitus. Neque enim ita nunc ad assiduitatem ac sedulitatem te cohortor, ut quasi dormientem excitasse, sed potius, ut sponte sua currentem magis incitasse videar. Etenim scopus, quem tibi præfixum nosti, ultro te officii tui admonet, ut omnibus viribus elabores, quo virtute & literis probe cultus ad tuos redeas, & patriæ aliquando commodis utilitatique publicæ servire queas. Quæ ut nemo unquam sine magno labore consecutus est: ita tibi quoque tanto magis e-

nitendum erit, quanto hæc obtinere est difficilius. Ante omnia vero sedulo diligenterque cavenda pravorum sodalitas, qui parci & infreqventes Musarum cultores sunt, & tempus, quod impendendum erat studiis, vel otio, vel rixis, vel voluptatum illecebris terunt inutiliter, ac turpiter prodigunt. Quod qui faciunt, plerumque inanes domum redeunt, ac tanquam inutiles terræ filii, omnibus bonis odio sunt ac contemtui, vitæque male actæ præmia, miseriam, egestatem ac seram pœnitentiam ex Academiis tandem referunt. Hæc ut tu evites mala, vitabis malorum istorum consortia, & bonis tantum ac eruditis te associabis juvenibus, tuis præsertim doctoribus, qui te doctrina atque optimarum artium studiis erudiant, ne, qui in illa vel jam facti sunt, vel etiam nunc fiunt sumtus, pereant. Sed majorem, spero, rationem habebis & utilitatis tuæ & voluntatis tuorum propinqvorum, quibus sane nil gratius acceptiusque præstare potes, quam si, optimis & moribus & literis ornatus, domum revertaris. Id nisi feceris; nec

spem

spem Parentum ac Patronorum tuorum impleveris: & in sinu gaudebunt inimici nostri, teque digito monstratum, ac naso suspensum ridebunt, esurientique in ætatis hyeme occinent, quod formica narratur in fabella cicadæ stipem hyberno tempore petenti respondisse: tu si in æstate, cum ego grana colligerem, cecinisti; nunc in hyeme salta. Ad quod a te probrum ac dedecus avertendū, adque virtutem potius amplectendam, impellere te debet, præter tot alias causas, longe gravissimas, majorum tuorum exemplum, qui quo majore doctrinæ sapientiæque laude semper floruerunt, quoque ampliores in civitate dignitates sunt adepti, hoc tibi foret turpius, præclara illorum vestigia deserere, præsertim cum eosdem honorum gradus tu possis adscendere, si vel ingenio tuo, quod a natura præclarum tibi contigit, vel iis, quibus instructus es, opibus, non luxuriæ sed virtutum instrumentis recte utaris. Quapropter omni studio, omnique animi impetu incumbas in eam rationem, qua adhuc usus es, ut labore, vigilantia, modesto vi-

sto vitæ cultu eruditionem ac virtutem, & per has summum in civitate dignitatis gradum consequare. Quod quidē non tam ut facias, quam ut & facere & feciſſe te gaudeas, nunc a me ſcriptum exiſtimes velim.

XX.

VIgeſima hortetur amicum, ut in munere ſenatorio, quod indeptus eſt, induſtrium, fidum, ac fortem ſe præbeat.

Quatuor prima argumenta petantur e loco proprio generis deliberativi.

Primum enthymema e 1. Rhet. VI, 2. Ἔστω δὴ ἀγαθὸν, ὃ ἂν αὐτὸ ἑαυτῷ ἕνεκα ἢ αἱρετὸν. Quod ſui cauſſa eligendum eſt. *Cum cura præeſſe civitati, ſalutem civium fideliter procurare, atq; ab hac mente nullis largitionibus, nullo periculo abduci, tam eſt pulchrum, ut etiam citra præmium delectet: quemadmodum enim virtus omnis, ita & hæc ſibi ipſi præmium eſt &c.*

II. E 1. Rhet. VI, 4. Καὶ ὅσα ὁ νοῦς ἂν ἑκάστῳ ἀποδοίη. Quæcunque mens unicuiqve dictaverit. *Quid autem in iſtum locum coaptatum deceat, non alium quam te ipſum adhibe in conſilium, tuum enim bono publico natum devotumque*

tumque pectus, quid facto opus sit, etiam nemine monente, tibi suggeret. &c.

III. Καὶ ἃ τὸ ἐναντίον τοῖς ἐχθροῖς συμφέρει. Cujus contrarium inimicis prodest. 1. Rhet. VI, 25. *Habet patria non exteros tantum, sed & domesticos hostes non paucos, quorum infestæ molitiones capient incrementa, ni tui similium & tua cumprimis fide atque vigilantia reprimantur &c.*

IV. Καὶ ὃ οἱ ἐχθροὶ καὶ οἱ φαῦλοι ἐπαινέσιν. Quod etiam inimici & improbi laudant 1. Rhet VI, 32. *Quod si ad salutem civitatis tuendam animum opemque conferis, non boni tantum benevolique te amare & extollere perseverabunt, sed & hostes ipsi atque improbi cives, tua integritate, tuo in patriam amore, constantia, fide adducti, vel inviti laudes tuas tandem aliquando prædicabunt.*

Vtum argumentum e loco assumto generis demonstrativi. Καὶ ὅσα τεθνεῶτι. Et quæcunque mortuo contingit ut adsint magis quam viventi 1. Rhet IX, 22. *Vivet & post funera tua virtus, cum livore malevolorum omni exstincto, famam nominis tui candide & sincere omnes exornabunt &c.*

VItum e loco communi a possibili. Καὶ οὗ ἡ ἀρχὴ δύναται γενέσθαι. Et cujus principium potest fieri 11. Rhet. XIX, 6. *Neque est, quod*

quod vereare ne magnitudini negotiorum vires succumbant, cum administrationis tuæ initium per hoc trimestre belle se habuerit, & hoc veluti specimine satis tibi jam sis exploratus, esse te oneri ferundo parem &c.

VII. Ex eodem. Καὶ ὧν ἐπιστῆμαί εἰσι. Et quorum sunt scientiæ. 11. Rhet. XIX, 11. *Præsertim cum ad clavum reip. non accesseris reip. gerendæ ignarus, sed dudum e monumentis scriptorum, & prudentum monitis ea hauseris, quæ provinciæ huic recte administrandæ sunt accommodata* &c.

IIX. E loco communissimo contrariorum, 11. Rhet. XXIII, 1. *Qui ad publica munia promoti, aut socordiæ se dedunt, aut ad omnes casus extimescunt, aut datam fidem parum integre præstant, sibi dedecus, civitati autem perniciem non possunt non afferre* &c.

IX. Ἐκ τῶν ὁμοίων πτώσεων. A Conjugatis 11. Rhet. XXIII, 5. E quibus Dialectici argumentum tale est: Si quæ impigre, fideliter ac fortiter geruntur, decus & famam conciliant, impigrum, fortem, fidumque esse oportet. In epistola autem conclusio e præcedentibus intelligi, & antecedens hoc modo proferri poterit: *Vera sane ac solida laus eos manet, qui ea quæ muneris sui sunt, impigre fideliterque patrant, & ingruat licet ex adverso sævior aliqua tempestas, tamen procul metu animose atque fortiter clavum tenere perseverant* &c.

Inge-

Ingenui mores ex epistola, tanqvam e vultu elucebunt, si de magistratus officio reverenter loqvaris, virum hunc tanqvam provincia ista dignum modeste celebres, & patriæ gratuleris, & tuum erga illum amorem demonstres.

Confidentiæ affectus e 11. Rhet. v. 35, 36, 39, & 46, ciebitur, si ostendes *patriam esse jam pacatam, ejus in hoc felici statu conservandæ præsto esse multa ac valida auxilia, magnum esse optimorum collegarum numerum, &, quod caput est, Deum suo numine inter tam multa pericula hanc rempubl. adhuc servasse, & porro qvoqve servaturum* &c.

Imitari poteritis Tullii ad Plancum lib. x, epistolas 3, 5, 10, 12. (XIII, 3, 5, 16, 17.)

ELABORATIO.

ET tibi & Reipublicæ gratulor de splendido isto Senatorio munere, quod communi bonorum omnium suffragio nuperrime es adeptus. Tibi quidem, qui non tam comite fortuna, qvam virtute duce, meritis tuis digna tandem retulisti præmia; reipublicæ vero quæ talem elegit virum, cujus prudentia tempori-

poribus hisce difficillimis maxime indiget. In te profecto Senatorem omnium spes sunt erectæ, omnium animi intenti, omnium oculi conversi, omnesque omnia læta sibi patriæque suæ augurantur. Nec minus tibi tam felix initium fausta quævis portendit, cursumque ad majorem gloriam pandit. Ecqvid enim pulchrius, quid ad nominis famã glorioſius, quã reipublicæ curam gerere, ſalutem civiũ procurare, atque ab hac ſententia nullis largitionibus, nullisque periculis averti. Verum decus in virtute poſitum eſt, quæ maxime illuſtratur magnis in rempubl. meritis. Ampliſſimus tibi ad laudem nunc apertus eſt campus: quem quando ſemel ingreſſus es, tene conſtanter, & percurre feliciter, idque age, ut ne minus respublica tibi, quam tu reipublicæ debeas. Quid autem te in iſtum locum evectum deceat, pro ſumma tua, qua polles, prudentia, ipſe omnium optime habes cognitum, tuumque bono publico natum devotumque pectus, quid facto opus ſit, etiam nemine monente, ultro tibi ſuggeret. Non deſunt hoſtes patriæ, ean-

eandemque domestici pariter atque exteri affligunt sæpius, quorum infestæ machinationes tuo tuique similium fideli vigilantique studio atque consilio frangendæ sunt, ne quid detrimenti capiat respublica. Quam si tua ope atque industria incolumem servaveris, aversis, quæ ipsi imminent, periculis; non boni tantum atque amici virtutem ac probitatem animi tui probabunt, & summis ornabunt præconiis, sed invidi etiam ac maligni, quin ipsi hostes in laudes tuas vel inviti rapientur, cum te patriæ tam amantem, tam integrum, tam constantem fidumque civem ac Senatorem cognoverint. Inprimis post fata tua vivet virtus, quando, livore malevolorum extincto, candide ac sincere nominis tui famam omnes illustrabunt, suumque recte factis decus haut ingrata posteritas rependet. Magna quidem, fateor, negotiorum moles tibi incumbit: sed nec minores a DEO tibi concessæ sunt vires, quibus tam grave arduumque munus pro dignitate sustinere queas. Etenim parem te esse ferundo

huic oneri omnes judicant, idque abunde liquet vel ex solo administrationis tuæ initio, quo per trimestre hoc spatium egregia jamdū prudentiæ tuæ dedisti specimina. Neque enim ad hanc provinciam accessisti expers ignarusque artis, quæ ad illam recte administrandam pertinet: quippe qui dudum e monitis præceptisque prudentum, optimisque scriptorum monumentis ea tibi parasti præsidia, quibus ad dirigendam sustinendamque rempublicam opus est. His ergo tibi probe instructo non deesse potest facultas bene de patria merendi. Sed nec voluntas tibi deerit, qua ipsius procurare velis commoda, cum sciam, te plane a pravis illorum abhorrere moribus, qui simul ac ad publica munia sunt admoti aut socordiæ se dedunt, aut donis corrupti, levique casu exterriti, fidem frangunt, & rempublicam deserunt. Unde saluti publicæ detrimentum ac ruinam, sibi vero maximum dedecus afferunt. Perges igitur, ut fecisti, porro & patriæ commodis & nominis tui honori ac dignitati consulere: siquidem

dem eos demum vera ac solida laus manet, qui, quæ muneris sui sunt, impigre fideliterque exsequuntur, nec ullas fortunæ extimescunt procellas: bonos naucleros imitantes, qui non modo mari tranquillo, velificantur, sed sæva etiam tempestate exorta, velisque contractis, animose ac fortiter navigii clavum tenere perseverant, ac quantum possunt, providere studeant, ne fluctibus illud submergatur. Quorum morem exemplumque & tu imitaberis, teque turbido pariter tranquilloque rerum statu industrium, fidum fortemque præstabis, & una cum Collegis tuis, viris optimis, usuque & prudentia maximis, in conservandam defendendamque patriam toto incumbes animo: fretus Dei optimi maximi præsidio, qui ut inclitam rempublicam vestram a primis ejus initiis inter tam multa ac varia pericula, interque tot ancipites casus in hunc usque diem protexit: ita eandem quoque in posterum potenti sua dextera servatam proteget ac defendet. Quod ut clementer faciat, teque insigne patriæ decus

ac ornamentum quam diutissime salvam ac sospitem præstet, ex animo voveo precorque.

XXI.

VIgesima prima, munus senatorium invitum se suscepisse, pro viribus tamen, cum Deo, gesturum respondeat.

Cur ægre susceperit, enthymemata minimum quatuor, ex uno LII. inciso capitis VII, lib. I. Rhet. possunt depromi.

I. *Arduum est regere civitatem.*

II. *Ætas vergit in senectutem.*

III. *Tempora nondum sunt tuto pacata.*

IV. *Neque facultas suppetit aut scientia, quæ regendæ reip. sufficiat.*

Plura argumenta huc facientia indagare poteritis e lib. I. Rhet. XI. cujus propositiones *de jucundo* vertendæ erunt in contrarias. Incisum IV. exempli caussa, ita invertetis: *Sessitare in curia, & de reip. negotiis totum diem consultare, labor mihi insuetus erit, & molestus.*

Incisum IIX. *Honoris hujus nulla unquam mihi fuit cupiditas.*

Incisum XII. *Præcipio animo futuros angores, e civium contumacia exorituros.*

Incis. XXXI. *Abesse non potest, quo minus multorum inimicitiæ mihi sint deinceps suscipiendæ, quo quidem homini quieto nihil potest esse acerbius.*

Incis.

Incis. LII. *Inprimis me angit, quod mihimet displiceam*, &c.

Παθητικὸν erit, si metum præ te feras, ex II. Rhet. v. 30. & 31. Moratum, si te patriæ tamen non defuturum & collegarum benevolentia ac summi Numinis ope niti ostendas. Adhibere licebit Planci ad Ciceronem lib. x. ep. 4. (XIII, 4.)

ELABORATIO.

Gratissimæ tuæ mihi fuerunt literæ, quibus de munere Senatorio, non ita pridem mihi collato, gratularis, & ut in eo industrium fidumque me præbeam, amice & prudenter admones. Tantum autem abest, ut honorem hunc affectaverim unquam, ut potius, si per me stetisset, nunquam passus fuissem id oneris meis imponi humeris, ut qui facultate scientiaque regundæ reipublicæ me parum instructum esse sentiam, nec videam, quomodo vel tuæ, vel aliorum expectationi satisfacturus sim. Nam præterquam quod arduum est regere civitatem, vergente præsertim in senectutem ætate, adeo conclamata nunc sunt

tempora, ac tam perturbatus reipublicæ ſtatus, ut ab illius gubernaculis exercitatiſſimum quemque deterrere atque avertere facile queant. Reipublicæ enim negotia recte prudenterque agere, pro tribunali ſedere, cauſſas cognoſcere, judicare ac juſtitiam exercere, totosque dies audiendo conſultandoque conſumere, res eſt, fateor, non minus difficultatis, quã moleſtiæ tædiique pleniſſima. Jamque mihi præſagit animus futuros angores, ex altercantium rixis, civiumque contumacia exorituros. Jam videor præſentire multorum odia atque inimicitias, quæ mihi conflabuntur a turbulentis pravisque quibusdam ingeniis, qui alioqui pacis quietisque amans, a jurgiis forenſibus turbisque omnibus plane abhorreo. Interim tamen & Dei gloria & civium utilitate omnia metiar, meque præclare rerum bene geſtarum teſte conſcientia unice ſuſtentabo. Juvabit me, ſpero, optimorum Collegarum favor & Dei benignitas, quæ ut in omnibus meis actionibus adhuc mihi præſto fuit, ita nec inpoſterum honeſtis meis conatibus deerit.

erit. Quare hoc unum tibi persuade, quantum viribus eniti consilio providere, autoritate movere potuero, id omne reipublicæ semper futurum. Vale.

XXII.

VIgesima secunda consoletur Amicum filii obitum lugentem.

Argumenta ἀποδεικτικὰ sumantur

I. à felicitate (1. Rhet. v. 3.) sed ea, quam Aristotelis Rhetorica ignorat. Nempe: *mortem transitum esse ad veram vitam, beatam atque immortalem. Non amissum sed præmissum esse, ad beatorum spirituum consortium, imo ad Deum ipsum. Fore diem, qui eum in integrum restituat.* &c.

II. *Vitam hanc meram esse miseriam.*

III. Et hoc assumto 1. Rhet. IX, 16. *Virtutis esse in summi Numinis providentia acquiescere, & ferre fortiter, quod divinitus immittitur.* &c.

IV. E loco communi *Impossibilis* II. Rhet. XIX. *Mœrorem nostrum esse frustra; non posse enim rem infectam reddere*, &c.

V. E loco communissimo *Conjugatorum*, II. Rhet. XXIII, 5. *Cum homo sis, humani nihil recusare debebis. Christi sectatorem more Christiano lugere par est.*

VI. A relatis II. Rhet. XXIII, 6. *Commodatus erat, non donatus, itaque merito repeti potuit.*

VII. A judicio sapientum virorum, II. Rhet. XXIII, 41. qui mortem contemnendam, quin imo optandam censuerunt.

Enthymematibus subjiciantur exempla praestantium virorum, qui summae spei filios, vel etiam gloria jam conspicuos, magno animo extulerint defunctos.

Interponatur hujusmodi prolepsis: *Perdidisti nominis propagatorem, futurum delicium & Scipionem senectutis, juvenem magnae gloriae capacem* &c. *At divina sapientia rectius novit, quid expediat. Nominis tui famam res benegestae celebrabunt. Senectutem tuam uxor superstes & rectefactorum conscientia levabit. Gloriam amplam indipisci incertum, retinere lubricum est* &c.

Benevolentiam fidemque conciliabit, si tuum qvoqve dolorem serio testeris, quod sub initium epistolae lenius, hoc autem loco disertius & cum affectu praestare poteris, adhibitis libri II. Rhet. cap. IIX. incisis, 3, 6, 7, 8, 13, 17, 18, 20, 25. quae singula singulos animi motus edent.

Juverit & pudorem ingerere e II. Rhet. VI, 12. ac aemulationem excitare eorum exemplo, qui magna animi constantia adversae fortunae ictus excepisse celebrantur, II. Rhet. XI. 13, 16, 17.

Argumenti hujus sunt, Ser. Sulpicii Ciceronem, IV, 5. (XI, 2.) Ciceronis Titium, V, 16.

(VII,

(VII, 26.) Luceji Ciceronem, V, 14, (XI, 13.) solantes epistolæ.

ELABORATIO.

TErtius nunc agitur dies, ex quo mihi renunciatum est de obitu filii tui. Quod ubi cognovi, sane pro eo ac debui graviter molesteque tuli, communemque tecum eum mihi dolorem existimavi, quo perinde sum affectus, ac si me ipsum tangeret. Illud tamen in luctu hoc non parum me erigit atque solatur, quod sciam, Tibi, viro sapienti & Christiano haud deesse remedia, quæ ad sananandum hoc vulnus pertinent, nec enim & fugit, eâ lege in hanc miserâ vitam introivisse filium tuum, ut ex eadem suo tempore exiret, nec periisse, sed ex caduca hac ad veram, beatam atque immortalem vitam transiisse. Nõ amissum sed præmissũ, & ad cœlestium animorum consortium, imo ad DEI ipsius conspectum admissum inenarrabili gaudiorum voluptate nunc perfrui. Quid ergo est, quod te commoveat domesticus ille luctus tuus? Co-

gita potius, non donatum, sed commodatum tibi fuisse filium, ut repeti ab eo, qui commodaverat, potuerit. Cogita qualis hæc vita sit, incerta nimirum, misera multisque calamitatibus obnoxia, quippe quæ nemini datur mancipi, sed solum fruenda ad tempus conceditur, & assidue exercetur adversis. Hæc intuens æquiori, ut spero, animo feres filii tui obitum, & voluntati divinæ acquiesces, illudque statues optimum, quod illa decrevit. Neque enim lamentatione quicquam proficies, nec questu & lacrymis revocabis ab inferis, qui ereptus est semel. Itaque hominem te esse memineris, neque communem illam hominum sortem recuses. Christo nomen dedisti, Christiano ergo more tibi lugendum est, non paganorum ritu, qui nullam futuræ vitæ spem habentes, mortem credunt esse interitum ac finem, delentem omnia. At tibi rectiora ex divinis oraculis edocto constat, meliori sui parte superstitem esse tuum filium, & diem fore, qui eundem tibi in integrum restituet. Animus illius æternus est, qui licet ad tempus suo careat

careat hospitio, tamen eo non ita privabitur, ut non iterum intermissa ejus consuetudine fruatur. Quæ cum secum reputarent viri sapientes, tantum abest, ut reformidandam censuerint mortem, ut potius eam ultro libenterque subeundam duxerint, eoque summæ etiam spei filios, ac gloria insuper conspicuos, magno animo extulerint defunctos. Sed tu, pro tenerrimo in filium amore tibi querendum putabis, quod is turbato vivendi ordine tibi ereptus sit, cui tu eripi volebas prius, quemque non sequi, sed præcedere cupiebas. Doles, te perdidisse eum, quem nominis tui propagatorem, deliciumque, & scipionem senectutis fore sperabas, magnæ quippe indolis magnæque spei juvenem. At divina sapientia multa novit rectius, quid nobis expediat, quidque ex usu vel nostro vel nostrorum sit. Nominis tui famam decusque res bene gestæ celebrabunt, vivetque post fata virtus tua in ore atque animis omnium, quotquot veram virtutem sincere & amant & æstimant. Senium tuum, quod quidem

per

per se grave est, solabitur ac fulciet piissima uxor, tristium æque ac lætorum fidissima socia. Rebus autem afflictis efficacissimum remedium erit recte factorum conscientia, quam nec vis ulla, nec acerbior auferre casus potest. Reliqua, quæ fortunæ beneficio tribuuntur, extra nos sunt, atque incerta, quæ vel possessores suos deserunt, vel a possessoribus deseruntur. Quare quæ tanquam amissuri possidemus, quid est, quod unquam illa gravemur amittere? Hoc, obsecro, demittas in pectus, & quo loco filius tuus sit, id est optimo felicissimoque, apud te expendas, ac luctui tandem lacrymisque modum ponas.

XXIII.

VIgesima tertia præcedenti respondens, primâ parte sit morata, parte reliquâ affectu plena.

Moratum est, agnoscere solantis benevolentiam, & pro ea agere gratias, tum & ingenium ejusdem, atque argumentorum, quibus usus est, gravitatem extollere.

Dolo-

Dolorem tamen suum nec tum residere potuisse ostendet.

I. *Quod unicus filius erat.*

II. *Et propterea carissimus.*

III. *Ingenio, judicioque praestans.*

IV. Φιλόπονος.

V. *Obsequens.*

VI. *Qui temporum tristitiam sua consuetudine solari poterat.*

VII. *Cui morbus & mors, circa culpam, fato obvenit.* II. Rhet. IIX, 15.

IIX. *Qui cum vivendo decus & gloriam suis parare potuisset, acerbitates iis atque dolores praematura morte attulit.* Ibid. 18.

IX. *Qui cum toto vitæ tempore, in animi & corporis contentione vixerit, fructu laboris jam privatur,* Ibid. 20.

X. *Neque vero vulnus adeo recens curari cito poterit.* Ibid. 30.

XI. *Pascunt dolorem industriæ filii in libris exstantia vestigia.* Ibid. 31.

XXII. *Cumprimis in animo scripta est, quæ me ultimum salutavit oratio: Vale supremum, mi pater, & salve ad eum diem, qui te mihi reddet, &c.* Ibid. 32.

Vide Ciceronem lib. IV. ep. 6. (XI, 3.) & lib. V. ep. 13. & 15. (XI, 4, 14.) qvibus Ser. Sulpicio & L. Luceio consolantibus respondit.

EL A-

ELABORATIO.

IN luctu meo domestico non parum me erexerunt literæ tuæ & amoris & consolationis plenissimæ, in quibus ex omnibus partibus sese ostendit tuus erga me amor ac benevolentia, cum pari prudentia conjuncta. Itaque multum tibi debeo, quod & consolando, & prope æque dolendo, in meo gravissimo casu me adjuvare volueris, idque effeceris, ut literis tuis lectis, aliquantulum acquiescerem. Iis enim usus es argumentis, quæ levare luctum insigniter possent, & in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Etsi autem omnia, quæ ad consolandum valent, tu eleganter copioseque collegisti, ac firmitudinem gravitatemque animi tui luculenter declarasti: tamen necdum dolor meus omnino resedit, quippe quo interdum ita opprimor, ut ei resistere vix valeam, propterea quod ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla proposuisti, simili in fortuna non defue-

defuerunt. Nam quod ais, multos viros sapientes summo etiam ingenio summaque virtute filios magno animo extulisse defunctos, eo tolerabilior illorum videri poterat jactura, quo efficacior eam solabatur spes, quam ex superstitum filiorum virtute capiebant. Mihi autem, amisso hoc filio, unicum, quod habebam in rebus humanis, ereptum est solatium: unicus nempe filius, isque tum eruditione tum virtute & ingenio præstans, qui nulli operæ nullisque laboribus pepercit unquam, quo suis aliquando honori ac reipublicæ ornamento esset. Adhæc monitorum præceptorumque meorum semper erat observantissimus, ut nunquam mecum in gratiam redierit. Jamque eos in studiis fecerat progressus, ut me in molestissimi muneris curis sublevare, meamque, ex temporum horum calamitate obortam tristitiam, suæ consvetudine solari posset. Sed ut nihil in hac vita stabile atque perpetuum: ita nec hoc meum gaudium atque solatium fuit diuturnum. Siquidē in spem nominis atque familiæ meæ natus educatusq; hic filius

lius meus in ipso ætatis flore extinctus est. Qui si vitam produxisset longius, nullum est dubium, quin ingens decus ac gloriam mihi meisque olim fuisset allaturus. Sed incidit hanc mihi spem inexorabile fatum, & quanta ex vivo, autea percipiebam gaudia, tantos nunc ex præmaturo illius obitu sentio dolores, eoque magis, quod cernam, eum qui toto vitæ tempore in animi corporisque contentione vixerat, nunc & industriæ & fortunæ suæ omnem perdidisse fructum. Non habeo nunc amplius, quo confugiam, ubi conquiescã, aut cujus in sermone & svavitate curas doloresque reponam. Altum sane ac grave mihi inflictum est vulnus, quod non ita consolidari ac consanescere potest, ut non identidem recrudescat. Recrudescit autem toties ac pascitur dolor, quoties industriæ filii vestigia in libris passim extantia deprehendo. Verum multo major dolori meo cumulus accedit, cum memoria repeto, quo vultu, quo gestu, quibusque verbis morti vicinus postremum mihi vale dixerit. Nunquam certe

te animo meo excidet illius oratio, qua me salutavit ultimum: vale, inquiens, supremum, mi Pater, & salve ad eum diem, qui me tibi ac te mihi reddet. Noli sortem meam deflere acerbius, ne invidere mihi videaris felicitatem, cujus mox ero particeps. Migrabo enim in illam cœlestem patriam, ubi requiescama laboribus, ac cum cœlitibus triumphabo; ubi meum, quem unice desidero, Jesum amplectar. Vale ergo, vale mi Pater, diuque sospes vive ac beatus; donec iterum conjuncti, chorisque triumphantium permisti, inter cœlestis paradisi delicias æternum Numen æternis celebremus hymnis. Sed plura commemorare sine lacrimis ac dolore non queo, qui tamen tuis monitis præceptisque abjiciendus est. Faciam igitur, quantum potero, ut me ab omnibus molestiis angoribusq; abducam, animumque ad earum rerū cogitationes transferam, quarū recordatione meam levari ægritudinem, luctumque leniri posse, sapientissime censes. Quod reliquum est, Deum precor, ut te ejusmodi calamitatis ex

pertem, non tuis modo, sed & mihi talium amicorum nunc magis etiam indigenti, quæ est ipsius bonitas infinita, diu salvum ac sospitem præstare dignetur. Vale

XXIV.

VIgesima quarta præcedenti cetera similis, dolorem epistola sibi mitigatum esse commemoret, rationibus partim e dispositione XXII. repetitis, partim novis istis additis.

I. E loco proprio generis deliberativi, Καὶ οὗ παρόντος εὖ διάκειται καὶ αὐτάρκως ἔχει. Et quo præsente bene se habet, neque quidquam præterea requirit, 1. Rhet. VI, 5. *Eo translatus est, ubi procul curis agit tranquille, neque quidquam eorum requirit, quæ nostram in hac vita inopiam exercent, &c.*

II. Ex eodem. Καὶ ἐὰν ὡς βέλονται. Et si ut volunt. 1. Rhet. VI, 37. *Voluit hoc optavitque vivus, ut ad beata gaudia ocyus emigrare sibi liceret, &c.*

III. E loco assumto generis demonstrativi. Τὰ ἀπ' ἀρετῆς γινόμενα. Quæ a virtute efficiuntur, honesta sunt, 1. Rhet. IX, 16. *Sed & illud me solatur, quod cum mors, juveni inprimis, inexspectata, &, cum supervenit terrori esse soleat, meus tamen filius decretoriam*

riam illam horam cupide expetivit, & fortiter subiit, &c.

IV. Ἐλπίζοντες χάιρεσι. Sperantes se potituros, voluptate perfunduntur, I. Rhet. XI, 18. *Adeo spes beatæ immortalitatis animum ejus occupaverat, ut exultaret ruere in amplexum Servatoris, &c.*

V. E loco communi *de Facto.* Καὶ εἰ γέγονεν ὅσα πέφυκε πρὸ ἐκείνε ἢ ἕνεκα ἐκείνε. Et si quæ antea, aut ejus rei causa fieri solent, facta sunt II. Rhet. XIX, 29. *Quo* (amplexu) *eum jam potiri certus sum, nam & in fide Christi ad extremum usque spiritum vixit, & arrhabonem vitæ immortalis in hac mortali vita accepit, &c.*

VI. E loco communissimo II. Rhet. XXIII. 20. Ἐκ τὸν χρόνον σκοπῶν. Tempus intueri. *Ævi nostri ea est perversitas, ut abesse vix possit, quo minus vel optime animatus educatusque adolescens corrumpatur &c. Hoc angore me excessus ejus liberavit, &c.*

VII. E loco communissimo definitionis. II. Rhet. XXXIII, 27. *Quid enim aliud est hominis vere Christiani mors, quam receptio in portum, solutio compedum, quibus mens constringebatur, liberatio ex ergastulo, &c.*

ELABORATIO.

ETsi nihil acerbius tristiusque mihi in hac vita accidere unquam potuit,

tuit, quam orbari unico filio, in quo post Deum omnem meam spem fixam locatamque habui: tamen proximis tuis literis acerbissimum meum dolorem haut parum mitigatum esse fateor. Siquidem me non oratio solum tua & societas pene ægritudinis, sed summa etiam tua autoritas insigniter consolatur. Turpe enim existimo, me non ita ferre casum meum, uti tu eum, tali sapientia præditus, ferendum censes. Et sane cum te præclare res humanas contemnentem, & contra quosvis impetus paratum sæpius cognoverim, non possum non fortem inque fortuna adversa firmum tuum animum, ut non semel miratus sum antea, sic in gravissimo hoc meo luctu nunc imitari. Cum enim in eam cogitationem deducor, qua conditione nascantur homines, non esse intelligo, cur plus æquo doleam. Una enim omnium lex est, ut, qui in hanc vitam intrarunt, ex ea, cum Deo visum est, sive serius id fiat, sive citius, exeant. Nempe moriendum est omnibus. Feramus ergo, quod ferendum est, æquiore animo, &

quod

quod tanquam amissuri possidemus, id nullo temporis momento amittere gravemur. Et quid filii sortem ultra defleam? Eo translatus est, ubi procul curis, procul doloribus agit tranquille, ac spernit caduca omnia, quæ exercent vitam mortalium ac fatigant. Hoc voluit vivus, hoc optavit a Deo immortali, ut ex calamitosa hac vita ad meliorē & sempiternam ocyus evocaretur. Durum quidem videtur mori, præsertim juveni, cui mors inexspectata plerumque solet esse terrori. Sed filius meus cum decretoriam illam horam instare intelligeret, tantum aberat, ut eam reformidaret, ut potius extremo sanctissimoque viatico munitus & cupide expeteret, & subiret etiam fortiter, ad æternam civitatem unice anhelans. Adeo spes beatæ immortalitatis animū ejus occupaverat, ut non tam festinare, quā ruere quasi videretur in amplexum Servatoris, tam anxie desiderati. Quo & ipsum jam potitum esse, eo minꝰ dubito, quo certior sum in obsequio Christi, cui se totum permisit, ad extremum usq; vitæ halitum vixisse,

& arrhabonem vitæ immortalis in hac mortali vita accepisse. Unde de æterna ipsius salute securus minus doleo, ereptum mihi esse filium, quem scio cooptatum in beatissimum cœlestium ordinem nullis laboribus, nullis curis expositum amplius, sed inenarrabili gaudiorum voluptate affluentem vitam agere. Et si miseram horum temporum conditionem intueor, nescio profecto, gratulari ne magis an illacrymari debeam filio, quod mala ingentia, quibus hic mundus est obrutus, evaserit. In ea enim, proh dolor! incidimus tempora, quibus vitiorum omnium regnant illecebræ, ut abesse vix possit, quo minus vel optime animatus educatusque adolescens corrumpatur. Verum hoc angore per beatum filii mei excessum jam liberatus sum. Quid enim, quæso, aliud est hominis vere Christiani mors, quam liberatio ex periculosissimis vitæ hujus syrtibus, ac receptio in portum tranquillitatis securæ atque perpetuæ? Itaque de tuo consilio casum hunc feram fortiter, & quo fortius feram, omne

omne tempus consumam in literis divinis juxta ac humanis, ab iisdem ærumnæ si non oblivionem, saltem mitigationem ac medicinam petiturus.

XXV.

VIgesima quinta soletur exsulem. Et initio quidem benevolentiam, prudentiam, probitatemque suam (moratæ orationis has facit partes noster Aristoteles II. Rhet. I, 10.) ostendet, si testabitur.

I. *Casum viri se pro amicitia dolere.*

II. *Nec ita tamen, ut propterea miserum eum esse censeat.*

III. *Probis fatale esse, ut ab improbis affligantur, idque æquo animo bonis omnibus esse ferendum.*

Post ἤθη sequantur πάθη, hoc est argumenta, quæ angorem animi levare possint.

Primum esto, e loco proprio generis deliberativi, I. Rhet. V, 3. Quod miseriam affert, agendum non est. *Ingrata patria & malis civibus carere, miserum sane non est, sed tum demum id reddetur miserum, cum ægro animo atque angusto perfertur, &c.*

II. Ex eodem. Quod famam imminuit, agendum non est, 1. Rhet. v, 3. & 22. *Tantam tibi gloriam tuis meritis adhuc peperisti, quantam in civitate nemo. Quod si vero hic deficies, atque animo concides, non tantum omnium præclare a te gestorum splendorem obscurabis, sed & te ipsum apud cordatos cives in contemtum adduces, &c.*

III. Ex eodem. Quod famam auget, agendum est. Ibid. *Quin eveniet tibi, quod aliis non paucis, ut exsilio tuo magnus ad pristinam nominis claritudinem cumulus accedat, &c.*

IV. E loco assumto generis demonstrativi. Καὶ τὰ παρ' ἑκάστοις δὲ ἴδια, καλὰ. Quæ singulorum sunt propria, sunt honesta, 1. Rhet. IX, 35. *Et sane laudabile est factum tuum, quod solum potius vertere, quam civium quorundam injustitiæ & perniciosis consiliis assentiri voluisti: nam cum nullo periculo propositio, quod rectum est agere, multorum sit, bonorum virorum id est proprium, etiam cum gravi incommodo suo honestatem in agendo sequi, &c.*

V. E loco communissimo de Futuro. Τό, τε γὰρ ἐν δυνάμει καὶ βελήσει ὂν, ἔσται. Quod est in potestate, & voluntate, erit, II. Rhet. XIX, 33. *Solaberis secessionem tuam sperato reditu, quem quidem ego haut vane tibi audeam promittere, cum optimi potentissimique*

que

que tives faveant tibi, & reverſionem tuam ſtrenue urgeant; eandem propediem obtenturi, ſimul ac paucorum quorundam pervicaciam, auctoritate ſua, quod poterunt, expugnaverint, &c.

VI. E loco communiſſimo: Εἰ μή τε μᾶλλον, μήτε ἧττον. Si neque magis, neque minus 11. Rhet. XXIII, 16. *Quum multi vel rei vel doctrinæ augendæ vel voluptatis etiam cauſſa ultro peregrinentur, tuum eſt eadem animi æquitate hanc tuam peregrinationem (ita enim merito appellaverim) tolerare,* &c.

VII. Ἐξ ἐπαγωγῆς, Exinductione 11. Rhet. XXIII, 35. *Exſilium cum perpetuæ nominis ſui famæ fortiter pertulerunt, Themiſtocles, Ariſtides, Thucydides, C. Marcius Coriolanus, Rutilius Rufus, M. Furius Camillus,* &c.

II. E 11. Rhet. VI, & 12. *Horum fortunam recuſare anguſti animi fuerit, præſertim cum illi partim ætate majores, partim conjugibus liberiſque multo impeditiores fuerint,* &c.

Argumenti hujus ſunt ad P. Sextium V, 17. (IIX, 19.) ad T. Fabium V, 18. (III, 13.) ad Nigidium Figulum IV, 13. (IX, 3.) ad Q. Ligarium VI, 13. (IX, 8.) & ad A. Manlium Torquatum VI, 1. 2. 3. 4. (X, 1. 2. 3. 4.) Ciceronis epiſtolæ. [Proderit & hic conferre epiſtolam Gregorii Nazianzeni, Euſebium in exſilio agentem, conſolantis p. 852. Operum ex edit. Jo. Leunclavii.]

ELABORATIO.

DUdum est, quod nullas ad te misi literas, non quod tui oblitus, sed quod multis magnisque occupationibus impeditus haud scirem, ubi locorum hæreres. Nunc cum mihi Sempronius narraverit, te Brundusii commorari, ac vehementius esse solicitum: isto rerum tuarum statu, consolandi tui caussa scribendum ad te aliquid pro veteri nostra amicitia putavi, quo acerbissimum tuum dolorem si non prorsus levarem, saltem quodammodo lenirem. Etsi vero ego, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum; propterea quod nullam rem feram gravius, quam tuum incommodum; tamen pro meo in te amore ac benevolentia rogo hortorque, ut te colligas, recorderisque tuos sermones, quibus & magnum animum mihi semper ostendisti, & ad omnes casus ferendos constantem ac paratum. Neque enim te miserum esse quisquam dixerit, qui honestissimorum consiliorum conscientia te sustentas.

Si-

Siquidem ad bene beateque vivendum satis est, & bene sensisse, & recte fecisse. Invidere vero virtuti, & insultare probis, frequens sæculi nostri labes est, & quo frequentior, hoc æquiori ferenda animo. Miserum alicui forte & acerbum videatur, carere tot amicorum præsentia, carere patrio solo, & ipsa hac urbe, ubi gratia, autoritate & gloria florueris: at miserum non est, vivere extra malorum civium consortium, & carere ingrata patria, ubi tanta rerum omnium est perturbatio, ut suæ quemque fortunæ maxime pœniteat, malitque quilibet ubivis potius, quam ibidem inter metum ac turbas perpetuas versari. Fac ergo forti magnoque sis animo. Plus tibi virtus tua dedit, quam fortuna abstulit, tantamque tibi gloriam tuis peperisti meritis, quantam in civitate alius nemo. Hanc autem non parum obscurabis, teque cordatorum civium contemtui æque ac improborum ludibrio expones, si hic deficies, & non æque sapienter adversam, quod facilius putatur,

tatur, ac secundam te ferre fortunam ostendes. Si vero fortem invictumque habebis animum, atque exsilii molestias, prout virum sapientem decet, patienter feres, magnus utique ad pristinam illam nominis tui claritatem accedet cumulus. Cum enim orbi innotescet, te ob recta consilia tuorum iniquitate inimicorum expulsum esse patria: ex aliorum invidia decus tuum crescet apud bonos omnes, qui tuam virtutem animique magnitudinem debitis laudibus efferent. Neque etiam vulgarem meretur laudem istud excelsæ mentis specimen, quod solum potius vertere, quam a virtutis tramite deflectere, & in pernicioſa quorundam civium consilia consentire voluisti. Facile quidem est in quieto tranquilloque reipublicæ statu, ubi nullus periculi metus, recti pertinacem esse: & justi æquique strenuum defensorem: at improbi ubi invaluerunt, eorum insidiis ac machinationibus fortiter resistere, eaque, quæ ipse recta esse sentias, constanti consilio tueri, illud demum fortium ac bonorum virorum

rum est proprium, qui nil probant aguntque, nisi quod rectum honestumque sit. Quod cum tu feceris, teque malevolorum furori strenue oppoſueris, fortiter quoque feres injuriam temporum, fretusque conſcientia rectæ voluntatis nullum putabis esse malum dolendum præter culpam. A quæ cum tu longissime, abſis, nihilque tuo officio indignum unquam admiſeris; non est, cur tam moleste feras ingratorum civium injuriam, quam ego non diuturnam fore auguror. Spero enim, propediem exstinctum iri flammam civilis diſcordiæ, teque majori cum gloria ac bonorum omnium gaudio in patriam esse reverſurum, quam inde malorum ignominia præter meritum fuisti expulſus; præſertim cum optimi potentissimique cives faveant tibi; & reditum tuum, uti quidem comperio, strenue urgeant. Neque profecto Deus ſinet, ut quæ preſſa fuit aliquantisper innocentia, perpetuo ab improbitate hominum opprimatur: ſed tandem, ubi non putaveris, & ubi exiſtimaveris plane conclamatum, bona triumpha-

phabit cauſſa; tuque ex hac, ſcio, calamitate feliciter emerges. Hoc mecum omnes cordati ſentiunt, ac optant, qui te diligunt, quorum eſt magna, pro tuis maximis clariſſimisque virtutibus multitudo. Quod ſi tamen omnino moleſta atque acerba tibi iſta videbitur mora: cogita, quæſo, quam multi vel rei vel doctrinæ augendæ vel voluptatis etiam cauſſa moleſtiſſimas peregrinationes ultro ſuſcipiant. Nec de illata tibi injuria adeo dolebis; ſi cogitabis Themiſtoclem, Ariſtidem, Epaminondam, Thucydidem aliaque magna nomina vel noſtris vel antiquis temporibus eandem fortunam eandemque ingratorum civium invidiam fuiſſe expertos. Horum ergo fortunam recuſare, ut anguſti nimis foret animi: ita invidiam odiumque malevolorum patienter ferre, immortale erit præmium virtutis. Quæ velim ego ut te ſuſtentes, &, quæ tibi precor, fata exſpectes benigniora. Interim res & fortunæ tuæ mihi maximæ erunt curæ, nec quicquam intermit-

mittam eorum, quæ te velle, quæque ad te tuamque salutem pertinere arbitrabor.

XXVI.

Vigesima sexta libellum magno & erudito viro dedicet.

Argumenta, quibus ut inscriptio isthæc benigne accipiatur persuaderi queat, Rhetorica Aristotelis affatim suppeditabit. E multis pauca ista nunc quidem excerpantur.

I. Οὗ ἕνεκα πολλὰ δεδαπάνηται. Cujus caussa multi sumtus facti sunt 1. Rhet. VI, 26. *Magna sunt tua beneficia, nec alia de caussa in me collata, quam ut meos in optimis literis atque artibus profectus aliquando cernere posses. Hos vero qui demonstrare aliter nunc quidem possim, quam si nobile argumentum meopte ingenio compositum tibi offeram?* &c.

II. Καὶ ὁ τῶν φρονίμων τις προέκρινεν. Quod prudentium aliquis præcellere judicavit, 1. Rhet. VI, 33. *Accedit, quod periculi hujus faciundi auctores mihi extiterunt, quorum spectata prudentia facile ad parendum inducere animum meum potuit*, &c.

III.

III. Τὰ προσήκοντα κατα γένος καὶ δύναμιν. Quæ conveniunt propter genus, & facultatem, 1. Rhet. VI, 39. *Neque opera isthæc mea ingrata esse poterit tibi, qui similis argumenti librorum amorem a majoribus tuis quasi hereditate accepisti, eorundemque sedulo cultu digna tibi parasti ornamenta* &c.

IV. Καὶ ὅσα οὺς θαυμάζουσι προαιροῦνται πράττειν. Quæcunque student agere illi, quos admirantur. 1. Rhet. VI, 43. *Quin & tuum me exemplum ut hoc auderem invitavit, quipari ratione tuis te Patronis olim commendasti. Mihi vero, qui admirandi ingenii tui vim non adsequor, labores tamen imitari volupe est,* &c.

V. Καὶ ὧν ἐπιθυμοῦντες τυγχάνουσιν. Et quæ concupiscunt, 1. Rhet. VI, 46. *Sed & hunc nomini tuo honorem haberi expetere mihi visus es, cum ad publicandas has pagellas non uvis me literis invitasti,* &c.

Ἠθικὸν erit, si de ingenio & hoc labore tuo modeste loquaris, nec munuscula te aut gloriolam captare, sed debitum officium præstare voluisse ostendas.

Παθητικὰ argumenta e lib. II. Rhetor. cap. IV, depromere ista licet:

I. *Nemo cognatorum tuorum hic est, cui tua caussa non & velim optime & faciam pro virili.* Ex inciso 8.

II. *Ami-*

II. *Amico autem tuo Antonio tam utor familiariter, ut diem mihi perire putem, quo eum visere non licet.* Incis. 9.

III. *Hostis tuus Marcellus inimicitias jam & mihi indixit, quem amplissimi tui nominis obtrectatorem fugio & aversor.* Ex inciso 10.

IV. *Humanitas tua & in clientibus fovendis benignitas ac constantia omni nostra laudatione major est; quare te potissimum mihi obtigisse patronum, in sinu gaudeo: neque dies ullus mihi est jucundior: quam quo vel ab ore pendere tuo, vel tuas gravissime disertissimeque scriptas literas legere est concessum.* Ex inciso 18. & 24.

V. *Non potest autem non gratum tibi accidere, cum per tua me vestigia incedentem, & ipsis illis, qua tantopere te delectant, literis mediocri diligentia incumbentem animadvertis.* Ex inciso 26.

VI. *Et ut nemo adhuc amicorum fuit, quem ego non constanter in omni vita, & post funera quoque coluerim, ita tui quoque nominis observantiam nulla calamitas, calumnia nulla, & ne suprema quidem dies mihi adimet.* Ex inciso 32. & 33.

Imitari licet Ciceronis lib. IX. ep. 8. (XI, 17.) IX, 12. (XI, 30.) XII, 17. (XI, 21.)

Item libri 1. ad Herennium, Catonis majoris, & Paradoxorum initium.

ELABORATIO.

QUoties ingentium tuorum in me beneficiorum recordor, (recordor autem sæpissime) toties admoneor muneris officiique mei, quod tibi debeo. Debeo certe, & dum vixero, debere me agnoscam, quod tua liberalitate sustentatus, liberalibus studiis diutius hic operari, eaque magis excolere licuit. Quare æquum judicavi, ut quos adhuc in iis progressus feci, publico aliquo specimine tibi ostenderem, cum, quæ a te accepi, nullo referre munere valeam. Etenim si circumspicio, quicquid uspiam in mea facultate positum est, nihil certe reperio, quod divinis tuis in me meritis ullo modo respondeat. Verum cum alia non habeam, hanc solum offero dissertationem, industriæ meæ qualecunque specimen, cujus argumentum, per se quidem satis egregium, modo parem suæ dignitati reperis-

periſſet autorem. Hanc celeberrimo Nomini tuo inſcribere equidem non eſſem auſus, niſi ſuaſores mihi fuiſſent viri quidam prudentes ac graves, quorum conſilio parendum cenſui. Neque tu, ſpero, contemnes munuſculum hoc levidenſe, craſſoque contextum filo, qualia mea ſunt omnia. Scio enim, gratos tibi eſſe ſolere ejusmodi argumenti libros, erga quos ut inſitus & a glorioſiſſimis majoribus tuis quaſi hereditate tibi relictus amor eſt: ita eosdem diurna nocturnaque manu verſando, digna nominis famæque jam dudum conſecutus es ornamenta. Cum igitur vidiſſem, pari ratione olim te tuos quoque conatus, egregios illos quidem, Patronis commendaſſe; hoc tuo etiam exemplo laudabili ad ſimile audendum non mediocriter ego ſum incitatus. Quanquam enim admirandi ingenii tui vim haut aſſequor, non ideo tamen deſidiæ indormire, ſed veſtigia tua, quamvis e longinquo, legere, laboresque pro ſalute literaria a

te ſuſceptos vel impari conatu imitari volui. Imitor ergo ac imitabor te quantũ per tenues ingenii mei vires licebit: tu, ſpero, parentũ imitaberis morem, qui in recta liberorũ voluntate acquieſcunt, licet facultas interdum deficiat. His accedit, quod ipſe hunc nomini tuo honorẽ, ſi quidem honor eſt, expetere viſus es, dum ad has mihi ſcribendas edendasque pagellas autor exſtitiſti. Quas & ſub conſpectu patrocinioque tuo in publicum jam prodire paſſus ſum, non ingenii quadam fiducia, aut vanæ gloriolæ captandæ cauſſa, ſed ſolo pietatis declarandæ ſtudio. Cujus teſtes mihi erunt omnes ſanguine ac neceſſitudine tibi conjuncti, quorum certe nemo eſt, cui tua cauſſa non & velim optime, & inſerviam pro parte virili, inprimis vero amicus tuus, Antonius, quo tam utor familiariter, ut diem periiſſe mihi putem, quo jucundiſſima ejus conſuetudine frui non licuit. Nec inimicus tuus, Marcellus, meam erga te obſervantiam diffitebitur, ut qui vel ideo me proſequatur odio ac fugiat, quod ampliſ-

plissimum Nomen tuum contra ipsius obtrectationes, pro eo ac debeo, tuendum defendendumque susceperim. Tanta enim humanitas tua & in clientibus fovendis benignitas ac constantia est, ut a nemine unquam, nedum a me digne satis prædicari queat. Sic enim existimare te velim, cum a te, Patrono salutis meæ cupidissimo, discesserim, neminem esse, cujus officiis me tam esse devinctum, non solum grato agnoscam animo, sed summopere etiam gaudeam. Itaque quantum literis, quantum studiis consequi potero, id omne ad arbitrium tuum libentissime conferam, faciamque, ut summorum tuorum erga me meritorum memoriam nulla deleat oblivio, nulla auferat calamitas, nullæ extinguant calumniæ. Hanc tibi fidem do, hanc datam servabo. Vale.

XXVII.

VIgesima septima præcedenti respondens, materiam, argumenta, ordinem, stylum, dedicati libri collaudet, pro inscriptione agat gratias, & offerat officia. Ad exemplum epistolarum Ciceronis ad Plancum x, 10. (xiii, 16.) & Trebonii ad Ciceronem xii, 16. (xii, 10.)

Materia scripti commendetur enthymemate eo, quod exstat 1. Rhet. IIx, 2. Illud nempe adolescentibus discendum est, quod viris factis possit esse usui: tale autem est, quod ad remp. facit. Euripidis versum Aristoteles commendat in Politic. cap. 4. cujus sententia est: *Ne mihi venusta tradas, sed quorum civitas indiget.*

Argumenta sive rationes in scripto allatæ inde laudentur, quod sint selectæ & validæ: ordo, quod naturalis & concinnus: dictio, quod perspicua, ornata, & rei, quæ tractatur, apta.

Ἠθικὸν erit, si laudatio non sit nimia, nec in adulationem vergens: Παθητικὸν, si & studiorum feliciter absolvendorum, & magnorum præmiorum spes excitetur. Quo faciet II. Rhet. v. 36, 40, 43, 46.

ELABORATIO.

INgenti me abs te beneficio affectum esse, ingenue lubensque fateor, quod eruditam tuam de republica commentationem, ex qua magnam tibi laudem famamque haut temere auguror, meo inscribere nomini placuit. Quantam enim exinde voluptatem ceperim, nolo jam pluribus commemorare, cum tu,

vel

vel me tacente, id satis intelligas. Gratissimus certe mihi est conatus & apparatus iste tuus egregius, qui abunde docet, te studiosissimum esse earum artium, quas ego maxime amo, hoc est, optimarum. Semper enim judicavi, ea potissimum adolescentibus tractanda esse studia, quæ digna cognitu, quæque viris factis possent esse usui. Talia autem sunt, non quæ in irrito tantum acumine, sed quæ in seriis potius gravibusque versantur argumentis, quorum in vita civili fructus est multo amplissimus. Quod & jam olim agnovit sapiens Græcorum vates, Euripides, qui non venusta tradi discique voluit, sed ea, quorum indigeat civitas. Id quod gnaviter te observasse, vel præsens testari potest dissertatio, quippe cujus argumentum grave ac rarum, rationes selectæ ac validæ, ordo naturalis & concinnus, dictio ipsa perspicua, ornata, reique, quæ tractatur, apprime conveniens est. Itaque de tam præclaro specimine tibi lubenti prolixoque

animo gratulor, nec minus reipublicæ noſtræ, cui, ſi diſcendo teque exercendo longius proceſſeris, utilem aliquando civem præbebis, quæque virtutibus tuis digna præmia conſtituet. Quamobrem ultro ad laudem decusque contendentem non eſt, quod anxie cohorter ac moneam. Hoc unum tibi ſpondeo, me & conſiliorum tuorum adjutorem, & dignitatis fautorem omnibus in rebus amiciſſimum fideliſſimumque ſemper futurum.

XXIIX.

VIgeſima octava gratuletur Collegæ ſacrum in eccleſia paſtoris munus. Adhibere licet Tullianas ad Cœlium Caldum 11, 19. (VI, 3.) & ad Marcellum XV, 7. & 8. (III, 30. 31.) epiſtolas.

Λόγοι ἐπιδεικτικοὶ ſancto muneri illi laudando petantur e loco proprio generis demonſtrativi.

I. Τὰ ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς, καλὰ. Quæ efficiunt virtutem, ſunt honeſta, 1. Rhet. IX, 15. *Non eſt in ſocietate noſtra munus ullum laudabilius, quam veram virtutem, qua nihil pulcrius, nihil amabilius, mortalium animis inſerere*, &c.

II. Καὶ τὰ ἀπ' ἀρετῆς γινόμενα. Et quæ a virtute efficiuntur, ſunt honeſta,

1. Rhet.

1. Rhet. IX, 16. *Potestne vero ab amore, quem & Christo Servatori, & mutuo inter nos præstare debemus, quicquam proficisci præclarius, quam si e grege mortalium misere pereuntium, aliquos servare, & ad sempiternum illud Domini nostri regnum nobiscum adducere, animo omni & voce publica connitamur? &c.*

III. ΕΦ ὅσοις τὰ ἆθλα τιμὴ μᾶλλον, ἢ χρήματα. Quibus pro præmio propositus est honos magis quam pecunia, 1. Rhet. IX, 19. *Nec refert, quod interea patrimonium augere & nostros libros collocupletare nequeamus: aliud enim præmium nos manet, quod omnes omnium divitias superat, bonos nempe regni cœlestis. &c.*

IV. Καὶ ὅσα ἔργα τῶν ἄλλων ἕνεκα. Et quæ opera aliorum sunt causa 1. Rhet. IX, 23. *Dum plerique sibi vivunt, & res suas agunt, tibi aliorum commoda & salutem promovere, præbita est pulcherrima opportunitas; qua quidem recte uti, & cœtui fidelium ornando totum se consecrare atque impendere, gloriam nominis parit immortalem, &c.*

V. Καὶ περὶ ὧν ἀγωνιῶσι, μὴ φοβούμενοι. Et de quibus anguntur, cum minime metuant, 1. Rhet. IX, 27. *Ille animi tui angor, quo post piam & disertam in ecclesia orationem auditam nunquam non te corripi & pariter ad dicendum inflammari, sæpe mihi fassus es, nunc demum a te felicis successus securo, in rem conferri poterit, &c.*

VI.

VI. Εἰ ἄξια τῶν προγόνων. Digna majoribus suis acquirere vel gerere, honestum est, 1. Rhet. IX, 43. *Et est sane eo te dignior sacra hæc provincia, quo plures inter majores tuos ejusdem muneris fuere compotes: quorum ut decora nanciscì, ita virtutem imitari, glorioſum tibi erit,* &c.

Moratum erit, si de arduo hoc oratoris sacri munere honorifice loquaris, & te quoque illo libenter fungi, hominum vana judicia contemnere, & a Deo mercedem patienter exspectare testeris.

Spondere, quod unum & commune periculum, una salus ambobus erit, παθητικὸν est, & amoris efficiens, e II. Rhet. IV, 6, 10, 14.

Conveniet & fidentiæ affectum movere e II. Rhet. V, 36. Βοήθειαι πολλαὶ. *Auxilia muneri huic recte obeundo neceſſaria, ad manum tibi sunt, copia rerum & verborum, inſtructa biblioheca, unde plures hujusmodi veluti opes parari poſſunt; aderunt conſiliis & monitionibus suis benevoli collegæ,* &c.

Inciso 38. Ἀνταγωνισάι τε ἐὰν ἢ μὴ ὦσιν ἔλως. Adversarii si aut non sint omnino &c. *Neque est, quod vereare, ne æmulus quiſpiam luminibus tuis forte officiat, aut contumacia civium orationi tuæ oblucletur: collegii enim noſtri concordia & auditorii obſequium majus est, quam ut hujusmodi quidpiam habeas vereri* &c.

Inciſo

Inciso 43. Ὅταν τοῖς ὁμοίοις μὴ ᾖ φοβερὸν. Confidunt, cum vident sui similes non terreri. *Æqualem tuum L. Manlium vide, quam intrepidus ille atque animosus cum in suscipiendo, tum in gerendo sancto munere adhuc fuerit: cui sane ut ætate, ingenio, & dicendi facultate par es, ita animi fidentia cedere minime debebis*, &c.

Ibid. Μηδὲ τοῖς ἥττοσι. Neque inferiores. *L. Balbus annis doctrina, exercitatione multo te minor, alacri animo in sacro hoc officio versatur.*

Inciso 46. Καὶ ὅλως, ἂν τὰ πρὸς θεὸς αὐτοῖς καλῶς ἔχῃ. Si quæ ad Deos pertinent, prospera ipsis ac secunda sint. *Divinæ erga te providentiæ vestigia toto vitæ tempore liquido animadversa, omnium minime tunc te destituent, cum propius ad Deum accessisti, divinæ mentis interpres atque internuncius constitutus*, &c.

ELABORATIO.

POsteaquam optatissimum accepi nuncium, te mihi collegam obtigisse in sacro munere: dici non potest, quanta lætitia sim affectus. Nam cum ob egregias animi ingeniique dotes te semper dilexi, tum hanc officii conjunctionem ad voluntates nostras arctius copulandas non mediocre vinculum allaturam

turam esse arbitror. Quamobrem & tibi & mihi hoc nomine gratulor, eumq; honorem tibi Deum fortunare volo. Sit improbis ille contemtui: nos honestum ac arduum munus esse, quod a Deo mandatum, nulli dubitamus. Quid enim honestius, quid pulchrius, quam veræ virtutis pietatisq; semina mortalium animis inserere? Quid magis arduum, quam Dei legatum ejusque divinorum oraculorum interpretem agere in his terris? Ab amore certe, quem & Christo Servatori, & mutuũ inter nos præstare debemus homines, nil quicquam proficisci potest præclarius, quam si tot animarum salutem quæramus, atque e grege mortalium misere pereuntium aliquos servare, & ad sempiternum illud Domini nostri regnum nobiscum adducere toto animo studeamus. Nec refert, quod interea nobis liberisque nostris nullas parare opes liceat. Deus enim nos ad pascendum gregem suum vocavit, non ut opibus colligendis, aut voluptatibus comparandis studeamus, quæ omnia brevi momento pereunt, sed ut quam plurimos

no-

noſtro miniſterio lucri faciamus Chriſto, ut æternam nobiſcum ſalutem conſequantur. Et ſane multo ſublimius hoc munus eſt, quam ut vili pecunia vel mercede ulla æſtimari debeat. Quanquam omnino nos manet præmium, & quidem tale, quale omnes hujus ſæculi divitias longe multumq; ſuperat, cœleſtis nempe regni honos ac gloria. Vivant alii ſibi, agant res ſuas, ac quærant, quod ſibimet ipſis expedit: tibi aliorũ propoſita ſunt commoda: tibi aliorum ſalutem procurandi pulcherrima jam præbita eſt occaſio. Hac ſi recte uteris, animasq; tuæ fidei concreditas fideliter curabis, immortalem tibi nominis gloriam paries. Conteſſus mihi es ſæpius, toties te angore quodam corripi, & ad dicendum quaſi inflammari, quoties piam diſertamque e ſuggeſtu ſacro audire contigerit orationem. Nunc vero facultas tibi data eſt exſerendi ſacrum iſtum ardorem, & excitandi inflammandique pios auditorum tuorum animos. Majores tuos cogita, & plures inter illos reperies, qui eodem munere ſumma cum laude de-

functi

functi sunt: Horum tu nactus es decora, horum insistes vestigiis, ac virtutem æmulaberis, ut parem cum illis nominis famam consequaris, quæ omnium fidelium divini verbi præconum præmium ac comes est, non mortalis illa quidem & caduca, sed perennis & immortalis. Quam & ipse respiciens, isthoc officio libenter fungor, vana hominum spernens judicia, ac gratuitam a Deo mercedem patienter exspectans. Quod si tu quoque in divinis mysteriis rite dispensandis rudes mecum docere, prostratos solatio erigere, & contumaces legum fulmine terrere ac frangere studebis, idem ambobus labor, idem periculum, sed idem quoque futurum est præmium. Nec enim ad arduum hoc munus tu quidem illotis, quod ajunt, accedis manibus: sunt tibi præsto, quæ ad feliciter illud administrandum requiruntur subsidia. Præterquam enim quod ingenio pariter ac eloquentiæ vales, & ipsa te natura videtur ad hoc munus finxisse: bibliotheca etiam gaudes instructa, magno tibi in rebus omnibus adjumento futura. Aderunt consiliis

&

& monitis benevoli collegæ, viri doctrina, prudentia longoque rerum usu præstantes, quorum amicitiam, fidem, integritatem multis documentis cognitam perspectamque habeo. Neque est, quod vel æmulorum invidiam, vel civium contumaciam metuas. Collegarum enim concordia & auditorum obsequium majus est, quam ut cujusquam odium atque inimicitia tibi pertimescenda sit. Vide mihi saltem æqualem tuum, L. Manlium, quam intrepidus ille, quam animosus cum in suscipienda, tum in administranda hac provincia adhuc fuerit. Cui cum tu & ætate & ingenio dicendique facultate nil quicquam concedas, timiditatis plenum atque dedecoris esset, illi animi fidentia cedere. Quid? quod ipse L. Balbus annis, doctrina, exercitationeque te longe inferior, alacrem se præbet in sacro hoc munere, & quæ sive credenda, sive facienda fugiendave sint, intrepide docet ac magna animi constantia. Idem & tu facies, dignumque

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1047281279/phys_0163
DFG

que tua persona animum capies, & virtutes, quibus tantum munus meruisti, perferes in sanctum Nicolai suggestum, confisus divino auxilio, quod ut nunquam tibi defuit, ita nec in posterum deerit, præsertim cum propius ad Deum accesseris, divinæ mentis interpres atque internuncius constitutus. Ego studium officiumque meum quacunque in re potero, tibi semper declarabo, faciamque, ut intelligas, tuam mihi existimationem & dignitatem semper fore charissimam. Interim vires ac valetudinem firmam, ætatem longam famamque æternam precor a Deo immortali, cujus tutelæ etiam atque etiam te commendo.

XXIX.

UNdetrigesima novum annum feliciter cœptum Parenti gratuletur.

Cum gratulatio generis demonstrativi sit, cujus instrumentum præcipuum est amplificatio, conquirenda erunt argumenta, sive λόγοι, quibus feliciter a parente adhuc transactæ vitæ beneficium extollatur. Loci amplificationum huc facientes

entes proſtant apud Ariſtotelem lib. I. Rhet. VII. & IX. Item lib. II. Rhet. VII. & XXIII. capitibus. Exaffectibus hic gaudium animi locum habebit. Moratum erit, ſi pietatem, amorem, gratumque animum cum voto perennis felicitatis promittas.

Partes epiſtolæ, præter exordium, erunt duæ: prima gratuletur patri ſpacium vitæ huc usque extentum, altera voveat annum novum pluresque deinceps proſperrime fluere. Primæ partis enthymemata erunt iſta:

I. *Magnum bonum eſt, te adhuc ſervatum eſſe; cum in tanta prudentum bonorumque virorum ſolitudine Eccleſia, Reſpublica, Princeps tuam operam unice deſiderent*, &c.

II. *Noſtrum, hoc eſt familiæ tuæ, unicum es fulcrum atque præſidium*, &c.

III *Ego ſeorſum tui & ad hunc diem usque egui maxime, & egebo deinceps, cum in vitæ humanæ theatrum emiſſus, inter tot malorum irritamenta, tua auctoritate regi, & intra virtutis tramitem contineri opus habeam* &c. Hic opportunum erit paterna quædam beneficia enumerare & oratione extollere.

IV. *Quibus omnibus quam beatus ego ſim, tum maxime intelligo, cum quorundam æqualium fata contueor: Horum enim nonnulli altero, quidam utroque parente jam dudum, partim etiam hoc ipſo anno ſunt orbati*, &c.

Hic misericordiam erga orbos, & mox tuum de rara tua felicitate animi gaudium testaberis. Simulque spondebis te spem tui, cum Deo, sustinere velle, &c.

Altera epistolæ pars votum contineat, ut Deus certo patriæ, familiæ, ac tuo bono servet Patrem, per hunc pluresque secuturos annos; quo sicut grave & molestiæ plenum fuit, filium educare, ita jucundum olim sit, bene educatum & ad metam feliciter pervectum in mediocri dignitatis gradu conspicere &c. Huic parti miscebitur ἦθος sive morata oratio, qua pietatem, amorem, gratum animum testeris atque in perpetuum spondeas.

ELABORATIO.

Pletati meæ convenit, uti animum paternorum beneficiorum memorem tibi exponam, Parens optime, & felix redeuntis anni auspicium his precer literis. Quod enim veterem transegisti feliciter, ac novum cœpisti sospes, Dei immortalis munus ac beneficium est. Hujus sane solius benignitati acceptum referre debemus, quod te inter

ter tot calamitates ac discrimina salvum atque incolumem servavit Ecclesiæ, Reipublicæ ac Principi, in tanta prudentum bonorumque virorum penuria, tua inprimis ope consilioque egentibus. Nostræ præsertim familiæ plurimum interest, te vivere, te florere & recte agere, quippe cujus unicum fulcrum, unicum es præsidium. Ego seorsum tui ad hunc usque diem egui maxime, & deinceps quoque egebo, cum in vitæ humanæ theatrum emissus, inter tot sæculi illecebras, inter tot malorum irritamenta, tuis & consiliis regi, & monitis intra virtutis cancellos contineri necesse habebo, ne vel per ætatis lubricum, vel pravæ sodalitatis contagio extra honesti rectique tramitem deflectam. Ut nil jam dicam de paterna tua cura ac solicitudine, qua me educasti a puero. Ut taceam impensas maximas in mea studia a te & factas adhuc, & porro faciendas. Quibus omnibus quam

beatus ego sim, tum inprimis intelligo, cum acerba quorundam æqualium fata intueor. Horum enim nonnulli altero, quidam utroque parente seu dudum, seu hoc ipso anno orbati miseram inopemque vitam in squalore ac mœrore agunt, nec quomodo eandem honeste tolerare, aut unde necessarios studiis sumtus nanciscì queant, noverunt. Quorum durissimæ sorti ut merito ingemisco: ita de rara mea felicitate non possum non impense gaudere, & operam dare, ut quam de me concepisti spem, eam cum Deo sustineam, & pleno gradu contendam ad metam. Quam ut ex sententia contingam, Deum precor ex animo, ut te servet patriæ, familiæ nostræ ac mihi per hunc pluresque secuturos annos, quo sicut grave molestumque fuit, tam longo tempore tamque studiose ac fideliter educare filium, ita jucundum olim sit, bene educatum in aliquo dignitatis gradu constitutum cernere. Quare voti mei summa est, ut quia ego per te omnia consecutus

sum,

Jum, tu viciſſim Dei beneficio conſequaris, quæ gloriæ ac felicitati tuæ expediant, ac dignitate meritisque te præſtent florentiſſimum. Vale.

XXX.

TRigeſimâ Tribunus militaris Patriæ deſideratiſſimam pacem, ſibi a bello vacationem gratuletur.

Ulti poterit Ciceronis ad Attic. l. IV. ep. 1. & Caſſii ad Ciceronem XII. 13. (XVI, 3.)

Et primo quidem animi ſui gaudium ampliſſimis verbis explicet, idque magnum merito eſſe, ac ſolidum fore his rationibus doceat.

I. *Ex ingenti animi pariter ac corporis contentione, in tranquillum & honeſtum otium eſt deventum.* I. Rhet. XI, 5. & ſeqq.

II. *Quod tenerrime dudum expetebam.* Ibid. 8.

III. *Perire bello videbamur, cum ſubito, velut e machina, Deus pacem eſt largitus* Ibid. 43.

IV. *Erit ſolidum hoc gaudium: penes enim quos pacis ac belli arbitrium eſt, ſummo conſenſu pacem amplectuntur,* Ibid. 36.

V. *Miles omnis eſt exauctoratus,* Ibid. 36.

Poſt hæc pacem ipſam collaudet.

I. E loco proprio generis demonſtrativi. Τὰ ἀπ' ἀρετῆς γιγνόμενα. Quæ a virtu-

te efficiuntur, honesta sunt. I. Rhet. IX, 16. *Pax ab animo sorte sua contento, bellum ab injustitia & a prava latius regnandi cupiditate proficiscitur*, &c.

II. Ex eodem loco proprio: Τά τε ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς καλὰ. Quæ virtutem efficiunt, sunt honesta, I. Rhet. IX, 15. *Pax pietatis, justitiæ, & omnium virtutum benigna est procreatrix atque nutricula; bellum contra omnium vitiorum confluges*, &c.

III. Ex Eodem. Τὰ παρ' ἑκάστοις ἴδια. Quæ singulorum propria sunt, I. Rhet. IX, 35. *Christianæ religionis character est, pacis & concordiæ cultus*, &c. *Eadem & cuivis homini, quippe quem inermem Deus condidit, cum primis est conveniens*, &c.

IV. E loco assumto generis deliberativi, I. Rhet. V, 18. & seqq. *Pacis tempore partis relictisque rebus nostris secure & liberaliter frui possumus: quæ omnia bello conturbantur intercipiunturque.*

V. E loco communissimo causarum. Κἂν τὸ μὲν ᾖ τέλος, τὸ δὲ μὴ τέλος. Et si alterum sit finis, alterum vero finis non sit, I. Rhet. VII, 14. *Quum a prudentibus unam eam ob causam arma sumantur, ut pace potiri liceat, satis causæ est, latari in sinu, postquam illud, quod tanto molimine intendebamus, tandem sumus consecuti*, &c.

VI. E loco communissimo partium.

Διειρέμενα ἐς τὰ μέρη τὰ αὐτὰ μείζω φαίνεται. In partes divisa majora apparent, I. Rhet. VII, 50.

Tutus bos etenim rura perambulat.
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas.
Pacatum volitant per mare navitæ.
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur casta domus stupris. Horat. IV, od. 5.

Plura argumenta promere licebit e lib. II. Rhet. XXIII.

Optimos scribentis mores arguet, si rapinas, stupra, cædes, vastationes agrorum & omnia illa necessaria belli mala, allatis in hanc rem sententiis graviter detesteris, II. Rhet. XXI, 40. 41.

Παθητικὸν erit, si eum, ad quem scribis, in extera regna militatum abire meditantem; ad æmulationem eorum, qui castris relictis, domi amplissimos honores consecuti sunt, concites, e II. Rhet. XI, 6. & seqq. Eidemque belli periculis propositis metum incutias, quod poteris, si libri II. Rhet. cap. V. incisa 4, 19, 21. huc accommodes.

ELABORATIO.

Quod ardentissimis votis atque suspiriis adhuc precati sumus a Deo immortali, id maxima omnium lætitia & exoptatissima bonorum gratulatione, a divina ipsius benignitate

jam impetravimus, dum ex ingenti animi pariter ac corporis contentione in tranquillum & honestum otium devenimus. De patria enim, diuturno bello miserrime afflicta, jam videbatur actum, cum subito, velut e machina, Deus ex voto, vel supra votum, pacem nobis est largitus, remque publicam, armis fere oppressam ac perditam, e manibus hostium eripuit sibique reddidit, ac sincerum simul & solidum gaudium omnibus attulit. Neque enim vanus hic pacis rumor est; sed omnes, penes quos pacis bellique est arbitrium, studio atque consensu mirifico pacem amplexi, militesque jam exautorati sunt. Jam novæ quasi vitæ initium ordimur, dum pace frui incipimus, qua nihil neque jucundius neque præstantius nobis in vita potest contingere. Pace quasi convalescunt, quæ bello jacebant fracta atque prostrata. Pax adeo sanitas est; bellum morbus: pax virtus; bellum scelus. Pax ab animo sorte sua contento, bellum ab injustitia, & a prava

va

va latius dominandi libidine proficiscitur. Pax pietatis, justitiæ, temperantiæ virtutumque omnium benigna est procreatrix atque nutricula : bellum contra omnium vitiorum colluvies & malorum Lerna. Christianorum hominum est, pacem invicem & concordiam colere, quoniam non modo ejusdem capitis sunt membra, nempe Christi, qui charitatem præcipit, sed unum etiam in cœlis patrem, & unam in terris matrem habent, Ecclesiam, ac uno insuper spiritu reguntur, iisdemque utuntur mysteriis. Sed nec Christianis tantum, verum omnibus in universum hominibus pax est conveniens. Siquidem Deus, etsi unumquodque cæterorum animantium suis instruxit armis, hominem tamen produxit nudum & inermem, eumque adeo non bello, sed paci; non exitio, sed saluti; non injuriæ, sed beneficentiæ; non odio, sed benevolentiæ genuit. Pacem igitur colant homines, quia pace coluntur agri, vernant horti, pascuntur pecora, ex-

struuntur oppida, augentur opes & florent commercia. Florente enim pace, florent ac vigent omnia, religio, leges, respublica, literæ artesque. At ubi belli tempestas ingruit, villæ ac oppida incenduntur, diripiuntur bona, spernuntur sacra, silent leges, evertuntur respublicæ, jacent artes, homines in servitutem abripiuntur, stupris deniq; & latrociniis, vi, metu luctuque complentur omnia. Proinde pax tuta quovis bello etiam justo, imo mille triumphis est potior, & a prudentibus eam ob causam arma capiuntur unice, ut pace potiri liceat. Quam cum nos etiam post diuturnum bellum tandem divino munere simus consecuti; gaudeamus atque fruamur tanti boni fructibus. Sed ad perficiendum commune hoc gaudium nil nisi conspectus, aut potius complexus tuus suavissimus deesse nobis videtur, quo si carendum fuerit diutius, profecto hac restitutione fortunæ nos ipsos non satis dignos judicabimus. Quare te,

Ami-

Amicorum optime pro veteri noſtra amicitia oro quæſoque, ut, ſi me amas, ſique tuos diligis, armorum curam abjicias, ac cogites, multo eſſe ſuavius, ampliſſimis domi fungi honoribus in tranquillo otio, quam peregre militatum abire, & innumeris ibi calamitatibus atque periculis ſeſe objicere. Ita vale, & quod optimum tutiſſimumque eſt, elige.

XXXI.

TRigeſima prima gratuletur amico de filii ad ſapientiæ & virtutum ſtudia optima indole, & felici in his progreſſu, ad inſtar epiſtolæ C. Trebonii ad Ciceronem XII, 16. (XII, 10.)

Προτάσεις adoleſcenti laudando aptæ in loco proprio generis demonſtrativi, lib. I. Rhet. cap. IX, obviæ ſunt:

I. Τὰ ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς καλὰ. Quæ virtutem efficiunt, ſunt honeſta. Inciſo 15.

Efficiunt autem in nobis virtutem, poſt Deum o. max. ingenium, bona educatio atque inſtitutio, induſtria. Atque hæc ſingula in iſto juvene hic commendentur.

II.

II. Τὰ ἀπ' ἀρετῆς γιγνόμενα. Effecta virtutum sunt laudabilia. Inciso 16. Hujusmodi sunt fugere ocium ac comissationes, versari cum bonis, aversari malos, auditoria doctorum constanter obire, disputationes habere orationesque publicas, &c.

III. Τὰ ἐναντία ἢ ἐφ' οἷς αἰσχύνονται. Contrarium eorum ob quæ verecundantur. Inciso 26. *Cauponam ille aut lupanar nunquam intravit, &c.*

IV. Λητέον δὲ καὶ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσι. Sumere oportet etiam illa quæ vicina sunt iis quæ adsunt. Inciso. 37. *Ne ad convivia quidem intempestiva vel it unquam, vel a quoquam se abduci patitur. Quod licet jucundi sodales alii morositatem, alii fastum appellent: tu verius dignam probo adolescente cautionem atque continentiam interpretaris*, &c.

V. Καὶ τὰ μόνῳ ὑπάρχοντα, καλλίω. Et quæ soli adsunt, pulcriora sunt. Inciso 33. *Non est quisquam omnium, qui sapientiæ & eloquentiæ studia tam studiose conjungat, &c.*

VI. Ἄξια τῶν προγόνων. Digna majoribus gerere, pulchrum & laudabile est. Inciso 43. *Talem se præstat, ut nunquam dimittere cogitationem videatur, quos majores habuerit & cujus parentis filius sit*, &c.

VII. Ἄξια τῶν προϋπηργμένων. Quæ congruunt rebus ante ab ipso gestis. Inciso

ciſo eodem. *Neque eſt ex eorum numero, qui e parentum diſciplina in liberum Academiæ ſpatium delati, a ſtudio virtutis deſciſcunt: ſed qualem ſe olim domi, talem & hodie foris ſe præſtat, verecundum, ſobrium, induſtrium, &c.*

Ad ἦθος pertinet, ut laudes iſtas ita temperes, ne ulla adulatio pelluceat: ut felicitatem hanc, quam in amico prædicas, ad te quoque pertinere agnoſcas: ut ad ſumma omnia adoleſcentem feliciter eniti voveas, &c.

E παθητικοῖς hic locum habebit gaudidium & confidentia. Gaudium oritur ob perceptionem boni & jucundi; quæ quo majora fuerint, eo & gaudium erit majus. Boni magnitudo ut oſtendi queat, docetur I. Rhet. VII. De jucundo plurima, ἀξιώματα extant ibidem cap. XI. Argumenta quæ de felici ſucceſſu ulteriori animum bene ſperare atque confidere faciant, habetis II. Rhet. V, 32. & ſeqv.

ELABORATIO.

QUod uterque noſtrum maxime optavimus, habemus filium tuum non modo præſtanti ingenio præditum, ſed optimis etiam ſtudiis deditum, ſummaque induſtriæ, modeſtiæ ac probita-

tis

tis laude florentem. Qua ex re quantam voluptatem capiam, ipsemet, vel me tacente, cognoscere poteris. Minime enim tibi ignotum esse arbitror, quantopere te diligam, & quam pro constanti & inveterata nostra amicitia, omnibus tuis etiam minimis commodis, nedum tanto bono, delecter. Nolim existimes, me hoc auribus tuis dare, vel assentandi animo scribere. Nihil filio tuo, atque adeo meo, (nihil enim Præceptoribus ac Parentibus in educatione liberorū debet esse sejunctum) aut amabilius est, aut studiosius earum literarum atq; artium, quas tu semper fecisti maximi, hoc est, optimarum. Nam præcepti Thaletis memor, tempus florentis ætatis optime collocat, omnique cura ac cogitatione in studia incumbit. Otium, ingluviem, luxum, Venerem, pravaque sodalitia, velut pestem, fugit, ac doctis tantum se associat, publicas autē privatasque Professorum scholas diligenter obit. Nec chartis tantum perituris, sed

&

& memoriæ studiose commendat, domique repetit, quas præclaras ab illis accipit doctrinas, utque easdem fidelius animo custodiat, & ipse etiam discendo exercendoque se in dies procedat longius, disputationes orationesque frequenter, nec sine applausu, habet. A quo laudabili instituto nullis se revocari illecebris patitur. Neque enim ad convivia, quamtumvis invitatus, solet accedere. Quod licet jucundi sodales in eo culpent, & alii morositatem, alii fastum interpretentur: cordatiores tamen & æqui rerum æstimatores merito cautionem & continentiam hanc probo adolescente dignam judicant, summisque concelebrant laudibus. Nec alienas a se eas existimat liras, a quibus omnis ratio honestæ laudis proficiscitur. Excolit eloquentiam, res actaque temporum, consilia eventusque in historia contemplatur, non eo modo, quo multi solent, sed quatenus rempublicam capessere volenti, & initia causasque civilium actionum rimanti

expe-

expedit, adeo, ut nullus fere civium studiosorum in hac sit Academia, qui ipsius industriæ palmam præripiat. Qua quidem in re suis majoribus dignum se præbet, qui ex prudentiæ eloquentiæque studiis decus sibi eximium compararunt, & summos honorum gradus sunt consecuti. Horum quippe vestigiis ut insisteret, studiorum suorum, domi feliciter a se institutorum, cursum constanter hic tenuit. Nec dubium est, quin amplissimos tandem laboris atque industriæ suæ fructus sit relaturus, & patriæ pariter nobisque commodo ac ornamento futurus. Quod ut ipsi ex animo voveo, ita tibi, quod vere facere possum, libenter gratulor, nec minus etiam mihi, qui ex prospera amicorum fortuna magnam quoque felicitatis partem in me redundare arbitror. Vale.

XXXII.

Trigesima secūda gratuletur veteri commilitoni munus Consiliarii Principalis Ubi primum suam ob bonum amici lætitiam significabit, eamque eo majorem merito

merito esse dicet, quo (non obstante vel rerum difficultate, vel hominum perversitate) citius & insperatius res tanta successit. Deinde munus ipsum dilaudet a plurimis bonis, quæ in remp. in ecclesiam, in principem a prudenti consiliario dimanant.

Hic τὸ λογικὸν sive rationes habent locum, quas promere multas licet e lib. 1. Rhet. 6. 7. & 9. capitibus.

Addet, ipsum ob ingenium, doctrinam & virtutem muneri isti parem esse.

Tum ad fidem & diligentiam illum adhortabitur.

Denique optabit successum omni ex parte felicem.

Uti poterit Ciceronis lib. 11. ep. 7. & 9. (IV. 10. & 6.) quarum illa Curioni Tribunatum, hac Cœlio Rufo Ædilitatem, item libri XV. epp. 7, 8, 9, 12. (III. 30, 31, 32, 33.) quibus Marco Cajoque Marcellis, & L. Paulo Consulatum gratulatur.

ELABORATIO.

ETsi nunquam dubitavi, quin post tot solida eruditionis specimina digna tandem virtute tua præmia esses consecuturus: tamen incredibili lætitia sum affectus, cum mihi nunciatum

est, te summo studio concordibusque suffragiis in numerum Consiliariorum a Principe tuo esse cooptatum. Quem tibi honorem, ut debeo, gratulor, & ut sempiternæ is laudi ac gloriæ tibi sit, ex animo precor. Provinciam sane obtinuisti splendidam, & una nactus es occasionem pulcherrimam & reipublicæ & Ecclesiæ Principisque optimi salutem ac commoda procurandi. Nullum enim majus præstantiusque vel Dei donum vel imperii instrumentum est, quam bonus ac prudens Consiliarius: quem Cicero reipublicæ custodem, præsidem, propugnatorem, imo principem salutis publicæque mentis rectissime nominat. Neque immerito etiam oraculum Regis regnique universi appellaverim eundem, utpote a quo, tanquam ab Apolline quodam, responsa publica postulantur, cujus januam, ingens semper turba Magnatum frequentat, & qui dubiiac incerti rerum ad eum accedunt, auditis veluti Dei cujusdam consiliis, certi ac firmi ab eo rece-

recedunt. Qualem te quoque futurum, haut vanis indiciis colligimus, quem ob egregias animi ingeniique dotes, tanto fastigio dignas, & raram in omni genere doctrinam arduo huic muneri omnino parem censemus. Neque ullum est dubium, quin omnia reipubl. negotia gubernaturus ac moderaturus sis prudentia tua, atque ex legis divinæ præscripto, ne te auferant improborum consilia. Nemo est, qui tibi salubriora suppeditabit consilia, quam sacræ literæ: nunquam laberis, si has audies. Prudentiam vero tuam, qua longe in futurum prospicis, & quæ ex usu reipublicæ sunt, tempestive animo provides, deinde fidem, integritatem animique constantiam, qua nullis neque largitionibus neque minis ab eo, quod rectum justumque est, te pateris in transversum abripi, quis vel ignorat, vel dignis a se laudibus prædicari posse existimat? Nil enim temere, nil frustra agis, sed omnia ad salutem publicam dirigis; nec inconsulto impetu ad

gravis rei negotia raperis, sed ratione, sed consilio duceris, & vigilem ad omnia oculum habes. Plura equidem de tuis virtutibus, quæ sibi in tuo pectore domicilium ac sedem fixerunt, sororio copulatæ vinculo, dicenda nunc forent; sed parco modestiæ tuæ, ne dicam, præscriptos epistolæ fines angustiores multo, quam ut illas capere queant: nec defuturi sunt olim tantis laudibus digni præcones. Igitur unum hoc addo, quod dissimulare non possum, ex isto honore Ecclesiæ reique publicæ fructus uberrimos, tibi summam gloriam bonos omnes augurari. Vive ergo reipubllicæ cui natus es, commodo & emolumento, Principi tuo, cujus magna curarum pars tecum divisa, ornamento, tuis denique necessariis, in quibus & mihi locum concedis, tum voluptati, tum præsidio, & vale.

XXXIII.

Quemadmodum præcedens epistola ad æqualem, ita hæc idem argumentum ad virum annis & dignitate majorem perscribat.

scribat. Ubi τὸ πρέπον exiget, ut gravius & minus familiariter omnia scribantur, quo se magni a te fieri colique cognoscat.

Nec monere talem fas est, sed dicendum potius, *scire omnes, eum muneribus aliis feliciter jam perfunctum, hoc quoque, quod nunc collatum est, præclare & certo patriæ bono esse administraturum, unde ad fidei, integritatis & diligentiæ dudum partam laudem magna sit accessio futura.*

Moratum utrobique fuerit, scriptionem ita instituere, ut nihil fictum, nihil fucatum appareat, sed serio te atque ex animo gratulari, vere possit existimare.

ELABORATIO.

POstquam mihi relatum est, te a Sereniſſimo Principe in numerum ſanctiorum Conſiliariorum cooptatum eſſe, ſane pro eo, ac debeo, & gaviſus valde, & Principi Patriæque noſtræ gratulatus ſum. Nec poſſum non tibi quoque gratulari literis, de ſplendida iſta dignitate, quæ maximis tuis in rempubl. meritis tibi parta, majorem atque immortalem nominis gloriam pariet. Gratulatur ſibi Princeps ipſe,

qui in te hoc tam misero temporum statu fidum & animo consilioque paratissimum negotiorum arduorum administrum invenit. Gratulatur sibi de te patria, quæ in te salutis publicæ custodem, præsidem, propugnatorem ac patrem divino munere nacta est. Gratulantur sibi omnes, quotquot te ad reipublicæ gubernacula admotum vident, quem aliis jam pridem muneribus summa cum laude perfunctum norunt. Nec dubitant, quin pro singulari, qua polles, eruditione animique prudentia hoc quoque, quod nunc in te collatum est, pari laude & certo patriæ bono sis administraturus, indeque non ad te modo fidei, integritatis, industriæque fructus rediturus amplissimus, sed ad universam quoque rempublicam ingentia commoda redundatura. Ego interim, quod mearum est partium, Deum veneror supplex, ut te in florentissima republica florentem servet, consilia tua fortunet, & quicquid agis destinasque, bene evenire jubeat.

XXXIV.

XXXIV.

TRigesima quarta gratulationi respondeat. Præcedat τὸ παθητικὸν, prædicabis enim singulari te voluptate perfusum esse lecta epistola, ob candorem, benevolentiam & studium amici.

Sequatur ἦθος, quo ingenium doctrinamque tuam extenuabis, & quam parum tibi tribuas, testatum facies.

Λογικὸν erit, rationibus excogitatis confirmare, quam sit arduum atque difficile susceptum munus.

Novum πάθος fuerit, si nec abjicere tamen te animum, sed Deo, amicis & recte atque impigre agendi firmo proposito te niti, adeoque felicem successum sperare asseras.

Denique pro gratulatione agere gratias, & mutuam constantemque benevolentiam spondere, amabiles scribentis mores indicabit.

In Tullianis, argumenti hujus sunt lib. IV. ep. 14. (IIX, 1.) & XV, 6. (VI, 10.) Adi & Plinium, si lubet, IV. ep. 8.

ELABORATIO.

NUnquam exoptatiores a te accepi literas, quam quibus mihi de nova

Consiliarii dignitate gratulabaris. Ex iis enim videbam, de pristino tuo in me favore nihil esse imminutum. Quanquam vero & tuo & gravissimi Principis judicio splendido isthoc munere non indignus judicer: tamen si mei res voti aut arbitrii fuisset; illud declinare maluissem, quam oblatum accipere. Pulchrum quidem arbitror, me successorem datum esse Sempronio, principi sane viro, quem ut in studiis æmulari honestum, ita & honoribus ejus insistere glorioſum mihi fuerit: sed vereor, ne egregias illius virtutes ac merita aliqua tantum ex parte assequi valeam. Obstat enim partim ingenii tenuitas & doctrinæ inopia, partim ipsius difficultas muneris, quod hoc tam misero tempore virum autoritate, prudentia rerumque usu præstantem postulat. Difficile namque & periculosum est, contra inimicorum perfidiam se munire, & de republica sententiam libere dicere, quæque sentias, probare omnibus, ac libera oratione contra im-

pro-

probos defendere. Neque felices semper in aulis sunt, quibus salus publica curæ cordique est, quique optima Principi suppeditant consilia: quandoquidem iis sæpe vel adulatio nocet, vel obtrectatio eos ponit obices, ut vel prorsus non, vel difficulter adeo suum propositum assequantur. Nam, ut hodie sunt mores, amarus cibus est veritas, multi non capiunt, pauci cupiunt, plurimi oderunt. Interim tamen cum arduam isthanc provinciam in me suscepperim, neque consilio neque fide reipublicæ unquam deero, sed laborantibus opem ferre pro viribus enitar, fretus & divino auxilio, & gratia Principis, & amicorum benevolentia. Nec quidquam facile mea culpa negligetur, unde vel Principi commodum, vel reipublicæ utilitatem civiumque salutem parari posse intellexero. Deum enim timendo, & recte agendo, neminem timendum arbitror. Sed de his satis, vel etiam nimium multa. Nunc, quod restat, tibi pro gratulatione amica in-

gentes ago habeoque gratias; & quo animo adhuc erga me fuisti, eodem ut porro sis, etiam atque etiam precor. De meo in te studio ac voluntate sic velim judices, me, quibuscunque rebus potero, honori, dignitati, salutique tuæ semper præsto futurum.

XXXV.

TRigesima quinta gratias agat pro collato beneficio.

Argumenta δεικτικὰ, quæ beneficium ipsum extollant & amplificent, obvia & excerptu facilia erunt transeunti segetem propositionum de *honesto* lib. I. Rhet. cap IX. & *bono majori* Ibid. cap. VII. & de *gratia* lib. II. cap. VII. incisis 2. & 3. Inprimis huc faciunt ista: *Si solus, Si primus, Si cum paucis*, & ceteræ, quas habetis lib. I, Rhet. IX, a vers. 57. ad 63.

Παθητικὰ argumenta, quibus in animo ejus, ad quem scribis, amor tui, & spes grati animi excitetur, exstant lib. II. Rhet. IV. versib. 8, 18, 24, 25, 37. & cap. XIX, 33, 34.

Ἠθικὰ sunt, profiteri vires tuas referendæ gratiæ esse impares, spondere gratum animum, orare Deum, ut dignas ille gratias

gratias reddat, constantiam & fidem amici ita tibi polliceri, ne novum beneficium tacite poscere videaris.

Præter Aristotelis ista, sequimini hic & ductum epistolæ Planci ad Ciceronem x, 24. (xvi. 6.) & Tullianarum ad Silium xiii, 62. (iv, 16.) ad Marcellum xv, 11, (vi, 11.) ad Appium Pulchrum iii, 13. (vi, 12.)

ELABORATIO.

Vicit tua benignitas obsequia mea, cum tot tantisque me immerentem cumulasti beneficiis, quot ac quanta ne petere quidem, nedum sperare unquam fuissem ausus. Fovisti enim me benevolentia, juvisti consilio, servasti ope, nec magis spem mihi patrocinii fecisti, quam impleviſti. Certe si præsidio tuo caruissem, actum de me meisque fuisset Musis. Tu quippe solus fortunam meam nutantem erexisti; tu solus inopiam meam sublevasti; tu solus stipendium, studiorum sumtibus suffecturum, mihi procurasti. Unde honor ad te maximus, ad me

me vero fructus amplissimus pervenit. Id nisi agnoscerem, impius, ni celebrarem, ingratus forem. Agnosco itaque semperque agnoscam, atque tuo unius beneficio me conservatum, ac post Deum tibi omnia debere, ingenue fatebor. Cumque in ære tuo sim, neque, quod debeo, possim rependere: honestos debitores imitabor, qui subinde seipsos admonent, idque dant operam, ut fidem liberent, ac, quæ acceperunt, cum fœnore creditoribus suis reddant. Quare, cum vires meæ referendæ gratiæ prorsus sint impares, nec a me ipso quicquam possim persolvere: Deum assiduis orabo precibus, ut pro summis tuis beneficiis vicem tibi reddat, cumulatissimeque tuam hanc in me beneficentiam remuneretur. Is enim pro iis, qui solvendo non sunt, sæpe dependit, maxime cum probis liberalibusque debent viris, quale te esse & prædicant omnes, & ego inprimis sum expertus. Interim nil prætermittam eorum, quæ ad grati animi significatio-

tionem teſtandam quoquo modo facere arbitrabor.

XXXVI.

TRigeſima ſexta gratiarum actioni reſpondeat.

Exemplo erunt Ciceronis ad Thermum II, 18, (v, 17.) ad Vatinium v, II. (XI, 17.) ad Plancum x, 19. (XV, 3.)

Argumenta λογικὰ, quibus beneficia præſtita extenuentur, in promtu erunt, e propoſitionibus præcedenti capite citatis, ſi mutentur in contrarias, verbi gratia: *Non feci ſolus, non primus, ſed cum multis, Neſcio quam opportune, Alii majora tribuerunt*, e I. Rhet. IX, 57, 58, 60. *Non tam dedi, quam reddidi beneficium*, II. Rhet. VII, 10. *Fructus hinc adte perveniens eſt exiguus*, I Rhet. VII, II. *Adeoque paſſim obvius.* Ibid. 23. *Occupatio in ea re mea nullius fuit negotii.* Ibid. 25. *Honorem propterea nullum mereor*, Ibid. 49. *Nec mea ope admodum egebat.* Ibid. 57.

Ἠθικὰ fuerint, ſi bona fide teſteris, te benefaciendo aliis maximopere delectari, & inter arcana ſanctæ religionis noſtræ habere, eorum quæ citra ambitionem, & ſpem lucri in alios benigne conferuntur, remunerationem cœlitus exſpectare.

Amici

Amici gratum animum, epistolâ abunde testatum, extollere, & plura deinceps ac majora beneficia eidem ultro polliceri, affectum amoris commovet, II. Rhet. IV, versib. II, 24, 37.

ELABORATIO.

MEa qualiacunque erga te studia officiaque tibi homini gratissimo grata acceptaque fuisse, vehementer gaudeo, daboque operam, ut intelligas salutem ac dignitatem tuam posthac majori mihi curæ fore, quam adhuc quidem fuit. Nam quæ tibi præstiti beneficia, admodum sunt tenuia, nec profecto tanti, quanti tu illa æstimas. Siquidem ea, quæ tua caussa a me sunt facta, & levia sunt & pusilla, & nullo fere negotio a me confici, omitti vero sine gravi culpæ reprehensione haut potuerunt. Neque etiam solus aut primus ornanda juvandaque tua suscepi studia: fuerunt & alii, qui ante me de rationibus tuis cogitarunt, & pari vel etiam majori studio ac voluntate honestos tuos conatus adjuvare studuerunt. Unde non adeo magnus, ut scribis, ad me perveniet honor, nec ita amplus & copio-

pioſus ad te inde redundabit fructus. Etenim cum mea ſponte ad juvenes cupidos bonarum artium fovendos proclivis ſemper fuerim, præſertim ſi ad virtutem indoles in illis apparuerit: quanto magis tibi juveni probo, egregiisque animi dotibus ornato, atq; ad omne decus laudemq; contendenti, mea approbare officia debui. Sane, quod feci, facere meum fuit, nec tam dedi, quam reddidi beneficium, cum a tuis olim longe plura majoraq; acceperim. Quare non eſt, quod tam prolixas mihi agas gratias, pro qualicunq; mea opera, quã in fovendis juvandisq; laudabilibus tuis ſtudiis collocavi. Spectavi in ea re non tã meum, quam tuum honorem ac commodum, imo gloriam potius ac ſalutem patriæ, cui ut natus es, ita magno te olim præſidio ac ornamento futurum confido. Ego interim omnia, quæ ad rem cauſſamque tuam pertinere arbitrabor, ſummo ſtudio curaq; faciam, qui alioqui benefaciendo aliis ſummopere delectari ſoleo, interq; ſanctæ religionis noſtræ arcana habeo, eorum, quæ citra ambitio-

tionem & spem lucri in inopes egentesque Musas benignæ conferuntur, remunerationem non tam ab ipsis quam a Deo exspectare, cui te tuaque studia etiam atque etiam commendo.

XXXVII.

TRigesima septima objurget adolescentem, quod tempus in Academia otio & luxu perdat.

Argumenta δεικτικὰ suppeditabunt προτάσεις Aristotelicæ *de honesto*, versæ in contrarias, 1. Rhet. IX, 67.

Hujus capitis incisum 16. tale enthymema suggerit: *Ab animi tui vitiis oriri necessum est præposteram illam vivendi rationem. Nec enim, si virtutem amares, si quod pium & sanctum est, tibi cordi esset, tam perverse vitam institueres.*

Incisum 15. *Orientur inde labes deterrimæ, nempe ut adres gerendas olim sis ineptus: ut cum tua prodegeris, rapias aliena, ut ad frugem redire, nequidem cum velis, possis &c.*

Incis. 19. *Ecquod vero erit aliquando præmium tuum? Non aliud, quam ut contemtu, opprobrio, dedecore noteris ab omnibus.*

Incis. 22. *Quin post mortem quoque sequetur te infamia.*

Incis.

Incis. 23. *Eccur sodalibus tuis ingratificaris, ut duas precioſiſſimas res, tempus & valetudinem illorum cauſſa perdas?*

Incis. 26. *Anne vero pudet in virtutum palæſtra, Academia, cum peſſimo quoque vitiis certare?*

Mores dicentis amabiles ſignificabit ita inſtituta reprehenſio, ne ex odio, ſed potius ab animo benevolo, & emendationis ac ſalutis illius percupido proficiſci videatur.

Pudoris affectus e 11. Rhet. VI. in hunc fere modum commoveri poteſt. Ex inciſo 4. *Et tibi & nobis omnibus, qui vel ſanguine vel affinitate te contingimus, magnum affers opprobrium.*

Ex inciſ. 15. *Patrueles tui & populares omnes tempus rectius collocant, nec horum quisquam unquam viſus eſt in caupona, in qua te veluti habitare nunciatum eſt.*

Ex inciſ. 28. & 29. *Nec deſunt, qui delicta tua deferant adparentes, incorruptos ſeverosque cenſores.*

Ordo ſit hujusmodi, ut duo iſta flagitia, ocium & luxus primum memorentur, deinde exaggerentur, argumentis jam propoſitis; tandem hortatio inſtituatur gravis ſed benevola, ut deterrimis his vitiis profligatis, ſectetur meliora.

M ELA-

ELABORATIO.

UT has nunc ad te darem literas, meus in te amor, ac animus tuæ salutis cupidissimus, fecit. Nempe a multis fide dignis hominibus mihi relatum est, te tempus in Academia inutiliter consumere, illudque otio & luxu perdere, ac ne cogitare quidem de literarum studiis, quorum tamen caussa illuc a tuis missus es parentibus. Quod ut gravi me dolore affecit; ita mearum omnino partium esse duxi, te a turpi ac pravo isthoc incepto abducere. Sane versaris in præclaro Academici munere, & nil minus agis, quam Academicum. Discurris hinc inde, nihil recte æstimas, nihil consideras, nihilque paras & in animum tuum instituis, nisi aut ineptias aut voluptates atque delicias, non caducas illas tantum, sed & vehementer noxias. Præpostera hæc est vivendi ratio, orta, quod facile appareat, ab animi tui morbo. Nec enim si virtutem amares, si, quod pium sanctumque est, tibi cordi esset, tam per-

ver-

verse vitam instituere. Affirmo, si ita pergas, te nihil miserius fore, nihil infelicius. Cum enim paterna bona abliguriveris, atque ad res gerendas ineptus fueris: tibi aut raptu videndum aut strenue esuriendum erit. Ecquod enim aliud desidiæ & ingluviei præmium est, quam fames, contemtus atque opprobium? Aut ergo mutandi isti mores sunt, aut calamitas accipienda cum summo dedecore, imo tali infamia, quæ nec morte delebitur. At enim, inquis, gratificandum est aliquando sodalibus. Esto: quoad ejus honeste fieri possit. Fugienda nimirum sunt prava sodalitia, nec amicis indulgendum est nimis, quoniam hi fures plerumque sunt temporis, rei sane omnium præstantissimæ, quam semel amissam, nunquam recuperaveris. Cogita, quam sit indignum ac pœnitendum, & tempus, & patrimonium & valetudinem aliorum caussa perdere, ac in ista bonarum artium officina, virtutumque palæstra, vel desidiæ in-

dormire, vel cum peſſimo quoque vitiis certare. Cogita, qualis hæc vita ſit, quæ turpiſſimo otio ac luxu conſumitur, & quantum nobis omnibus, qui vel ſanguine, vel affinitate te contingimus, opprobrium ſis allaturus, ſi tam luxurioſe, ut cœpiſti, vivere deinceps perrexeris. Aſpice, quæſo, patrueles ac populares tuos, quam bene illi tempus ſuum collocent, quamque ſtrenue literis navent operam. Nemo ſane eorum unquam in cauponaviſus eſt, quam te tamen quotidie fere audio frequentare. Nec enim deſunt, qui vitam moresque tuos obſervent, omniaque delicta tua ad parentes, ſeveros omnino illorum cenſores, deferant. Itaque ſi horum cupis iram effugere, abſtine quæſo ab his rebus, quæ ipſorum animos abalienant, ac tibi turpitudinem conciliant, bonisq; literis potius dies noctesque tuum ſtudium & laborē inſume. Quod ſi feceris, meæque exhortationi locum reliqueris; non modo contractam elues maculam, ſed meliorem etiam famam

mam fortunamque tibi parabis benigniorem. Id quod ex animo tibi precor, tuæ salutis, honorisque & famæ, si quis unquam, studiosissimus. Vale.

XXXIIX.

TRigesima octava castiget impietatem adolescentis, qui in templo inter preces & sacros Ecclesiæ hymnos, velut in trivio aut popina, procacibus jocis lascivit, & alios non turbat tantum, sed & lædit, Enthymemata e 1. Rhet. XIV. promere ista licet;

Ex inciso 1. & 17. *Magnam oportet esse illius impietatem, qui in loco sacro, in Ecclesiæ & Angelorum, quin Dei ipsius conspectu lædere alios non veretur. Quid enim ille injuriarum omittet in foro, in circulis, in convivio?*

Ex incis. 4. *Felici studiorum cœlitus exspectando successu semet destituit, qui in exordio vitæ Academicæ Deum tam graviter offendit.*

Ex incis. 10. *Cum universum ecclesiæ cœtum ad Deum animis linguisque conversum cernis, tu eum pancis scurris ludos facere audes?*

Ex incis. 11. *Huc accedit, quod singulis diebus sacris repetere te petulantiam tuam sit compertum.*

Ex incis. 12. *Abesse non poterit, quo minus novo & inaudito antea flagitio, nova pœna statuatur*

tuatur, & ejusmodi quidem quæ tollendo illi suffi iat.

Ex inciso 16. *E patria discedens & in Academiam receptus longe aliud Deo, parentibus, Magistratui & juratus quidem, promisisti.*

Ex incis. 18. *Ecquid aliud hoc est, quam Deo conditori & Servatori, pro summis his beneficiis, reddere contumeliam?*

Moratum erit, & Christianæ pietatis argumentum, si loca divini Numinis cultui consecrata, religiose te venerari, oratione comprobes.

Metum movebit, si a Deo, contemtus sui acerrimo vindice, pœnam talibus impendere contendas. Adhibe 1. Rhet. v, 8. 12.

ELABORATIO.

ETsi crebro te hortatus sum, ut pietati bonisque moribus studeres, & omni ope huc adnitereris, ut pie honesteque muneris tui partes obires: tamen te has meas admonitiones paternas nihili feciisse, & nunciis & literis multorum, nec sine ingenti animi dolore cognovi. Quotidie enim ad me deferuntur querelæ de animi tui levitate, sive

sive potius improbitate, a qua nec in ipsa æde sacra tibi temperas; dum inter preces & sacros Ecclesiæ hymnos, velut in trivio aut popina, gestibus indecoris jocisque procacibus lascivis, & alios, meditationibus piis intentos, non modo turbas, sed & proterve lædis. Magna vero illius impietas sit, oportet, qui in loco sacro, in cœlestium mentium, quin & Dei ipsius conspectu sic violare Numinis majestatem & offendere alios non vereatur. Quid enim ille injuriarum omittet in foro, in circulis, in conviviis, in cauponis? Certe felici studiorum successu seipsum privat, qui largitorem hujus Deum, sub vitæ Academicæ exordium tam graviter irritat. Non potest enim non divina excidere gratia, qui in sancto Ecclesiæ cœtu, ad Deum animis linguisque conversо, mimorum ac saltatorum more, vel oculos huc illuc circumfert, vel indecenter manus jactat, vel pedibus subsultat, vel risum movet, vel denique sacris vana ac profana inter-

miscet colloquia. Certe si tu scurrilem istam petulantiam impiasque nugas, hoc præsertim tempore & loco non omiseris, abesse non poterit, quo minus novo & inaudito prope flagitio, nova quoque statuatur pœna, & ejusmodi quidem, quæ tollendo illi sufficere possit. Exhorresco sane, cum cogito talia committi a te, qui Deo, Ecclesiæ reique publicæ aliquando inservire cupis, quique e patria discedens, & in numerum civium studiosorum receptus, longe aliud Deo, Parentibus, & Magistratui Academico jurejurando promisisti. Nullane te ergo tangit religio divini Numinis? nulla Magistratus legumque reverentia? nullus perjurii metus aut vindictæ sceleris? Sane si ita perrexeris, senties aliquando divinam Nemesin, certo vindicaturam, quicquid proterve ac nequiter adeo feceris. Quare, si sapis, si que me audis, emenda hos mores, improbitatem exue, sacra habe reverentius, ac Deum voca in partes, ut is vires ingenio & felici-

felicitatem studiis addat, eaque ad exitum optatissimum perducat. Vale.

XXXIX.

TRigesima nona expostulet cum Tutore de patrimonio dissipato.

Argumenta δεικτικὰ sive λόγοι, adhibeantur primum ejusmodi, quæ factum demonstrent. Sedes horum est lib. I. Rhet. x, xi, & xii. capp.

E cap. x. incis. 13. & 36. argumentum tale consit: Utile tibi fuit, Ergo feci*sti*: *Egestatem desidia tua tuoque luxu tibi contractam effugere commodius non potuisti, quam si invaderes aliena, &c.*

E cap. xi, 4. & 8. *Jucundum tibi fuit, instituta*m *semel vitæ rationem tenere constanter, quod eum e tuo censu, jam dilapidato, facere ulterius non posses, maluisti meis, fidei tuæ creditis, inferre manus, quam tuas refrenare cupiditates.* Vide I. Rhet. x, 6.

E cap. xii. incis. 1. *Fuit in tua potestate, mea rapere, &c.* Ex incisis, 2, 4. & 13. *In tua illa dicendi faciendique peritia, in cohorte potentium amicorum, præsidium tibi locasti, ut quicquid hujus egeris, impune futurum tibi spoponderis.*

Ex incisis 29, 30, 32. *Ego vero quia & aberam longe, & rerum mearum semper fui ne-*

gligentior, sed & verecundior, quam ut in judicio contendere tecum auderem, opportunus tibi fum visus, quem læderes.

Ex inciso 38. *Huc accedit: quod amicos, quibus niti possim, pauciſſimos, dicendi faciendique peritiam nullam me habere, tibi constabat. Quibus illecebris invitatus, patrimonii mei fructibus me spoliaviſti, &c.*

Deinde demonstretur, factum hoc esse injuriam atque adeo furtum, & alieni patrimonii deliberatam, divinis humanisque legibus vetitam, interceptionem. Adi I. Rhet. x, 2. xiii, 6. 14. & seqq.

Tertio afferantur argumenta, criminis hujus magnitudinem ostendentia, quæ plena manu haurire poteritis e capite xiv, lib. I. Rhet.

Affectus duos præcipue hic ciere opportunum erit, pudorem delicti & metum pœnæ, quorum hunc e II. Rhetoricorum v, illum ex ejusdem libri cap. vi. perlustratis, oratione commovere erit in proclivi.

Ad τὸ ἦθος pertinet, testari, invitum te, & damni tui magnitudine adductum hanc accusationem suscepisse: dolere, fidei ac honestatis læsæ exemplum præbitum; atque alios tutores in suspicionem rei prave gestæ adduci: optare, sibi rem, ipsi famam restitui.

Ex-

Exemplum expostulationis habetis epistolam Metelli ad Ciceronem, v, 1. (1, 2.) & Ciceronis ad Antonium v, 5. (1, 4.)

ELABORATIO.

ETsi speravi, te pro veteri, quam cum parentibus meis olim coluisti, amicitia, & pro tua dignitate atque existimatione res fortunasque meas, curæ tuæ commissas, recte fideliterque administraturum: tamen ingenti animi dolore, nec minori damno meo nunc experior, me misere circumventum, magnamque patrimonii partem dissipatam, a quo minime conveniebat. Itane vero egestatem, desidia luxuque tuo tibi contractam, effugere commodius non potuisti, quam si res alienas invaderes? Itane jucundum tibi fuit, jus tutelæ violare, & postquam tua bona abligurivisti, devorare mea? Nullane tibi fuit religio, picatas alienis inferre manus, ac fidei tuæ concredita rapere? Tantane dicendi faciendique uteris licentia, tantumque in potenti-

um

um amicorum cohorte tibi locasti præsidium, ut quicquid dixeris, quicquid egeris ac rapueris, impune te laturum tibi persuadeas? Itane vero dignus tibi videbar, quem spoliares, cuique fortunas subtraheres, cum a te essem remotior, & rerum mearum paulo negligentior, ac verecundior etiam, quam ut tibi litem intenderem, ac in judicio tecum contendere auderem. Accedit, quod amicos oppido paucos, dicendi vero faciendique peritiam omnino nullam me habere tibi constabat. His aliisque illecebris haud dubie illectus, quicquid libuit, tibi licere putasti, meique adeo patrimonii fructus præter jus fasque ad te rapuisti. Itaq; tua perfidia ad eam redactus sum inopiam, quæ studia mea me cogit abrumpere, antequam ad aliquam maturitatem illa perduxerim. Quod nunquã certe credidissem futurum, nec suspicatus fuissem, te tam levi in paternam nostram necessitatem atque adeo in tuam ipsius famam esse animo. Siquidem omnia a parentibus meis in

te

te profecta sunt, quæ ad honorem commodumque tuum pertinebant. Quam tu pro his mihi retuleris gratiam, & nosti probe, & ego proh dolor! nunc satis comperio. Certe si nec fides, nec pudor ab alieno te potuit retrahere: divinæ tamen comminationis severitas, vel sortis etiam meæ commiseratio debebat permovere, ut mihi necessaria vitæ studiorumque subsidia ne interciperes, meque adeo in medio illorum cursu retardares. Hæc igitur in animum demitte tuum, & de meis mihi reddendis primo quoque tempore fac ineas rationes. Adhuc enim tempus est, ablata mihi restituendi. Id si feceris, & tu famæ conscientiæque tuæ consules, & ego injuriam, mihi factam, æterna oblivione delebo, qui hoc animo sum, ut unicuique prodesse potius, quam quoquo modo obesse cupiam. Sin minus; jure tecum experiar, faciamque, ut omnibus innotescat, quam perfide mecum tu egeris. Hoc unum tibi persuadeas velim, me non temeritate litigandi, sed damni magni-

gnitudine ad hanc litem, tibi impingendam, adduci. Interea vehementer doleo, te fidei honestatisque læsæ exemplum aliis præbuisse tutoribus, nihilque magis in votis habeo, quam ut mihi res, tibi fama restituatur.

XL.

Quadragesima crimen superiori epistola objectum diluat. Loci depellendæ criminationi inservientes traduntur lib. III. Rhet. XV. Tertius ex his, incisio quarto, est: Ἔστιν ἀτύχημα, ἢ ἀναγκαῖον. Infortunium est aut necessitas. *Belli calamitas, malum illud inevitabile, bona tua evertit, &c.*

Inciso 6. Ἀντικαταλλάττεσθαι τὸ οὐ ἕνεκα Compensare damnum sine proposito. *Neque enim cum arcas tuas aveherem, militi, qui in via illas rapuit, in manum tradere, sed in locum tutiorem munitioremque deportare volui, &c.*

Inciso 8. *Cum patruum tuum, in cujus tutela pariter eras, omnes absolvant, me, qui sine ejus consilio nihil horum feci, nemo jure accuset.*

Inciso 9. *Solantur me aliorum in hac ipsa urbe exempla, qui cum paribus suspicionibus gravarentur, tandem innocentissimi sunt deprehensi.*

Incis. 11. *Neque est, ut libellis tecum loperose concertem ego, qui recte factorum conscientia nixus*

xus Magistratus judicio rem omnem detuli, ejusmodi propediem exspectans sententiam, quæ vanitatem tuam confutet.

Præter istos adhiberi cumprimis hic possunt loci de caussis injuriarum, de moribus eorum, qui injurias inferunt, & de illis, qui injuriis aliorum sunt obnoxii. Quorum primus cap. x. & xi, duo reliqui cap. xii. libri primi Rhetoricorum pertractantur.

Usus omnium monstratur lib. i. Rhet. cap. x. vers. 13. Ad hunc ergo ductum Tutor, innocentiæ suæ defensor, caussas hujusmodi injuriarum omnes, ut & mores eorum, qui tales injurias publicis inferre solent, procul à se removebit, nec accusatorem injuriis istiusmodi opportunum esse demonstrabit. Singulis his liquidò confirmandis affatim argumentorum citata tria capita suppeditabunt.

Affectus animi tres hic commovere commodum erit, lenitatem, pudorem & misericordiam. Misericordiam excitat oratio, quæ famam hominum innocentum, malorum calumniis lacerari queritur. Pudorem incutit ingrati animi justa exprobratio. Lenitas conciliatur, optimæ voluntatis nostræ, meritorum, infortunii ac doloris commemoratione. Pervolvite lib. ii. Rhet. cap. iii. incisa 3, 4, 23, 24, 30. Et capitis vi. incisa 4. & 5. Tum integrum cap. iix.

Obje-

Objectum crimen serio detestari, & integritatem atque innocentiam suam præ se ferre, nec alterius in criminando acerbitatem imitari, optimos scribentis mores pandit.

Q. Metelli, Appii Pulchri, P. Sextii Galli, Antonii querelis atque contumeliis respondent Cicero v. 2. (I, 3.) III, 8. (IV, 7.) III, 7, (V. 7.) VII, 27. (IX, 10.) Brutus & Cassius x. 1. (XII, 20.)

ELABORATIO.

Accepi tuas literas querelæ iniquissimæ plenas, quibus accerbe mecum expostulas, quasi te circumvenerim, nec pro fide ac veteri, quam cum parentibus tuis colui, amicitia, res tuas administraverim. Quod quantopere me angat atque discruciet animo, verbis satis exprimere haut possum. Vehementer sane doleo, quod falsis rumoribus motus, fortunarum tuarum jacturam mihi tribuis; cum potius belli calamitas, illud inevitabile malum, eas everterit. Nam ut primum hostilem exercitum adventare cognovi; statim, quem-

quemadmodum res tuæ in tutiorem munitioremque locum deportarentur, consilium inivi. Quod ego cum exsequerer, & per certos fidosque homines arcas tuas hinc avehendas curarem: accidit, ut in manipulum militum, vias forte tunc obsidentium, inciderent, illisque in prædam cederent, a quorum rapacibus manibus cum nemo, quantumvis maxime providus, sibi satis caverit; tu ipse velim judices, an ullam justam habeas caussam, de illata tibi a me injuria conquerendi. Patruus certe tuus, in cujus tutela pariter eras, ab omnibus absolvitur: quonam igitur jure me accusabis, qui quidquid in hac caussa feci, ejus feci consilio? Neque tu melius, si præsens adfuisses, res tuas, credo, curare potuisses, aut prohibere, quo minus a militibus raperentur. Siquidem hac temporum perturbatione complures alii eandem fortunam experti sunt; quamvis omni cura, diligentia ac labore

sua conservare studuerint, quorum exempla non parum me solantur. Solatur & maxime recte factorum conscientia, quæ pluris mihi est, quam hominum sermo, quaque fretus neque tuas criminationes, neque judicis expavesco sententiam. Certe non is ego sum, qui aliis vel injuriam inferre vel sua auferre cupiat. Recordare modo, quæ tua adhuc egerim caussa, quam ego laboraverim, quam solicitus de te semper fuerim, quamque nihil omiserim eorum, quæ ad te recte educandum tuamque salutem tuendam pertinere visa sunt. Quod vero de mea intemperantia, indeque nata indigentia scribis, per est ridiculum. Nam etsi sordidus Euclio nunquam fuerim: non tamen ideo bonorum meorum fui decoctor, sed per Dei gratiam tantum adhuc fortunarum possideo, quantum ad vitam honeste sustentandam sufficit: nec necesse habeo cuiquam sua, nedum tibi tua per fas nefasque surripere. Vides ergo, quam

quam gravi injuria me innocentem oneres, quam atrociter honorem, famam & existimationem meam lædas, quamque ingratus erga tutorem ac benefactorem tuum te præbeas. Eum certe accusasti, quem minime debebas. Quod si ex æquo & bono mecum egisses, humaniterque, prout pupillum decet, apud me questus esses: libenter tibi condonassem istas querelas, ignoscereмque dolori tuo, ex rebus tuis, non mea negligentia aut incuria, sed casu & injuria temporum perditis, orto: modo & tu famæ meæ parcere voluisses. Spero tamen, te in posterum mihi futurum æquiorem, nec amplius detracturum de mea fama; cum intelligas, res tuas semper mihi curæ fuisse, nec a me meisque domesticis ablatas, sed a militibus per vim citra ullam meam culpam direptas. Quod si feceris, nec iniquior erga me fueris deinceps, quam honor meus ac dignitas postulat: ego quoque, qui te mihi semper ami-

eum esse volui, in voluntate ista erga te manebo, omnibusque meis officiis id agam, ut me tibi non amicum modo, sed etiam amicissimum nullo non tempore experiaris. Vale.

Habes hic, benevole Lector, epistolarum præceptiones, dispositiones, elaborationes item, quas Tibi destinaramus, in compendio. Iis nunc ad implendum vacuum chartæ spatium coronidis loco verba nonneminis adjicimus, quibus omne artificium, quod alii ampliter ac copiose ostenderunt, is breviter & nervose velut in summa complexus est. *Meum consilium est*, inquit, *ut epistolam scripturus, ad eum te venire, cui scribis, cogites: ante omnia (satis scio) honorabis salute, amoris aliquam significationem dabis; adferes deinde causam accessus, & rationibus ages, aut affectibus pugnabis; ac denique pelliceberis omnia. En! argumentum & dispositio totius epistolæ!* Quibus si accedat elocutio, qua res inventas & dispositas Latine, plane & ornate efferimus, non video, quid ulterius possit magnopere desiderari His ergo fruere, Lector, nostramque operam, levem illam quidem, sed tamen Juventutis bono susceptam, æqui bonique consule, & alio a nobis tempore, quæ jam differuntur, tibi gratiora, tuaque digniora lectione exspecta. Vale.

IN-

INDEX
Dispositionum Epistolicarum.

PRima petit, ut fratris filium in disciplinam recipiat. pag. 1.
II. Petitioni annuit. p. 5.
III. Petit, ut te in clientelam recipiat, & consilio in studiis adjuvet. p. 9.
IV. Superiori respondens, offert officia. p. 13.
V. Petit usum Bibliothecæ. p. 17.
VI. Abnuit, quod petebatur. p. 19.
VII. Petit, ut res, ab alio gestas, mandet memoriæ. p. 21.
IIX. Petit commendatitias ad Magistratum, pro subsidio studiorum impetrando. p. 26.
IX. Commendat Consuli adolescentem, studiorum subsidio indigentem. p. 31.
X. Commendat amico propinquum, in Academiam proficiscentem. p. 34.
XI. Commendat eundem Professori. p. 38.
XII. Commendat Senatori petitorem publici muneris. p. 40.
XIII, Commendationi annuit. p. 43.

XIV.

XIV. Ejusdem argumenti. p. 47.
XV. Commendatum adjuvare recusat. p. 50.
XVI. Consultat, utrum studiorum causa in Germania subsistendum, an in Galliam sit eundum? p. 53.
XVII. Suadet peregrinationem. p. 58.
XIIX. Suadet mansionem. p. 62.
XIX. Hortatur juvenem, ut tempus in Academia bene collocet. p. 67.
XX. Hortatur amicum, ut in munere senatorio fidum se fortemque præbeat. p. 73.
XXI. Respondet præcedenti. p. 81.
XXII. Consolatur amicum, filii obitum lugentem. p 84.
XXIII. Consolatoriæ respondet. p. 89.
XXIV. Ejusdem argumenti. p. 95.
XXV. Solatur exsulem. p. 100.
XXVI. Libellum magno viro dedicat. p. 108.
XXVII. Dedicatoriæ respondet. p. 114.
XXIIX. Gratulatur Collegæ sacrum in Ecclesia Pastoris munus. p. 117.
XXIX. Gratulatur parenti novum annum. p. 125.
XXX. Gratulatur Patriæ pacem. p. 130.
XXXI. Gratulatur amico de filii indole & in studiis progressu. p. 136.

XXXII. Gratulatur amico munus Consiliarii principalis. p. 141.
XXXIII. Gratulatur idem alteri, annis & dignitate majori. p. 145.
XXXIV. Gratulationi respondet. p. 148.
XXXV. Gratias agit pro collato beneficio. p. 151.
XXXVI. Gratiarum actioni respondet. p. 154.
XXXVII. Objurgat adolescentem, tempus in Academia male collocantem. p. 157.
XXXIIX. Objurgat adolescentem, in templo lascivientem. p. 162.
XXXXI. Expostulat cum Tutore, de patrimonio dissipato. p. 166.
XL. Objectum crimen diluit. p. 171.

Errata operarum exstantiora.

De arte Epistol. *pag.* 1. *lin. ult. pro* flue *leg.* fluet. In dispos. *p.* 14. *lin.* 6. *pro* mojores *l.* majores. *Ibid. lin.* 17. *pro* enixus *l.* enixius. *p.* 45. *lin.* 17. *l.* perspicere. *p.* 90. *lin.* 22. *pro* XXII. *l.* XII. *p.* 119. *lin.* 20. *l.* bibliotheca. *p.* 160. *lin.* 5. *pro* raptu *l.* rapto. *Ibid. lin.* 6. *pro* videndum *l.* vivendum. *p.* 163. *lin.* 15. *post* 1. Rhet. V. *add.* 6.

74)

s tuæ in tutiorem
um deportarentur,
Quod ego cum exse-
rtos fidosque homi-
c avehendas cura-
n manipulum mili-
nc obsidentium, inci-
prædam cederent,
us manibus cum ne-
is maxime provi-
erit; tu ipse velim
ustam habeas causs-
a me injuria con-
s certe tuus, in cu-
eras, ab omnibus ab-
igitur jure me ac-
uid in hac caussa fe-
io? Neque tu meli-
uisses, res tuas, cre-
, aut prohibere, quo
aperentur. Siquidem
urbatione complu-
unam experti sunt;
diligentia ac labore

N sua